



Klassisch-Philologische Studien
Veröffentlicht von
F. Jacoby
Heft 5

# De Vergili eclogarum forma et indole

von

Dr. Georg Rohde

BERLIN
Verlag von Emil Ebering
1925



# Klassisch-Philologische Studien

herausgegeben

von

F. JACOBY

---

Heft 5

# De Vergili eclogarum forma et indole

Von

Dr. Georg Rohde

Berlin 1925

# De Vergili eclogarum forma et indole

Von

Dr. Georg Rohde

---

BERLIN
Verlag von Emil Ebering
1925

# LVDOVICO MARTENS

S.

# I.

Sequemur in hac dissertatione, quantum fieri potest, eum ordinem, quo eclogae scriptae sunt, qui et testimoniis extrinsecus arcessitis et sermone conformationeque ipsorum carminum confirmatur. ac secundam quidem et tertiam et quintam eclogam primas omnium scriptas esse ex ipsis apparet, cum poeta in extremo quinto carmine ipse secundum et tertium ante quintum condita esse dicat. quodsi ad sermonem et conformationem horum carminum respicimus, vix dubium esse potest, quin nulla ceterarum eclogarum ante has scripta sit. quam artissime enim Vergilius hic se ad Theocritum applicat, neque modo rebus, quas de poeta Graeco sumit, sed etiam conformatione eum imitatur multo magis quam in ceteris eclogis, quamquam ne hic quidem nota ingenii Vergiliani deest. in septima autem et octava ecloga, quamquam hae quoque, si Servii verbis uti licet, in mere bucolicis habendae sunt, liberiore egressu suum ipsius magis ingenium secutus Theocritum supergreditur, non tam singulis rebus, quas varie permixtas hic quoque de poeta Graeco mutuatur, quam dispositione et conformatione carminum. novum et a Vergilio inventum est, quod in septima ecloga pastor quidam, Meliboeus nomine, totam rem, non modo carmina alterna, sed etiam omnia, quae certamen antecedunt, refert. quod apud Theocritum mimus est aut a poeta ipso narratur, Vergilius in narrationem pastoris transtulit, ita ut dici possit eum rem et attenuavisse et ditavisse. nam ad verae vitae imaginem propius accedit mimus. sed cum persona nova pastoris narrantis inducatur, plus bucolici coloris super carmen effunditur, quia non modo ii, qui carminibus alternis certant, et iudex, sed etiam is, qui narrat, lectori cordi sunt. liberius etiam in octava ecloga poeta incedit, utpote qua duo carmina, quibus tanta vis inest, ut per se constare utrumque possit, in unum coniunxerit. scimus hanc eclogam in ultimis omnium habendam esse,

quas Vergilius fecit. cum autem viderimus in septima quoque ecloga Vergilium multo liberius rebus ex exemplari Graeco sumptis uti quam in prioribus carminibus, dici non potest, utrum statim post quintam concepta sit an rectius posteriori tempori assignetur. de ceteris eclogis, cum res illis temporibus actae tangantur, fere constat, quo tempore scriptae sint: IX et I ipsi anno 41 attribuendae videntur esse, IV anno 40, X, cum ultima omnium concepta sit, neque finem anni 39 transire liceat, anno 39 exeunti, sextam constat post nonam ponendam esse.[1] sed cum nobis non in animo sit denuo inquisitionem de eclogarum temporibus instituere, sed ea modo, quae ad pernoscendum Vergili ingenium nonnullius momenti videntur esse, eligere, non de omnibus eclogis fuse disseremus, sed de eis solum, quae ad demonstrandam poetae artem idoneae sunt.

Iam eis eclogis, quas primas Vergilius confecit, quibus accuratissime Theocritum effingere studet, tantae differentiae, si ad poetam Graecum respicimus, insunt, ut operae pretium sit eas fusius tractare. ac primum quidem de s e c u n d a ecloga disserere nobis in animo est. duo exempla Theocritea poetae ante oculos erant, quorum unum (Th. III) questus et preces pastoris cuiusdam Amaryllida amantis habet, alterum (Th. XI) Cyclopem in litore sedentem et amorem suum ridicule cantantem. et hinc et illinc Vergilius multa singula sumpsit. prooemium, quod ad argumentum attinet, expressum est e prooemio Cyclopis Theocritei, quod ad numerum versuum, e prooemio carminis III Theocritei. in ceteris rebus exprimendis modo hoc modo illud carmen poetae Graeci imitatus est, neque desunt loci, quibus secundum morem suum, de quo viri docti multa iam disseruerunt, complures locos Theocriti in unum coniunxerit, nonnulla de suo quoque addidit. quodsi ad totius carminis conformationem respicimus, eam plane Vergili propriam esse nobis dicendum est. nam tertium carmen Theocriti ita dispositum est, ut particulae minutae ternis ferme versibus constantes solute ac nullo certo ordine, qui facile perspici possit, alia post aliam collocentur. post unamquamque harum partium brevis intermissio fit, quasi pastor exspectet, utrum Amaryllis appareat necne. semper denuo canere incipit: modo queritur,

1. cf. Schanz R. L. G.³ II, 1 p. 50.

modo orat, modo minatur, modo tristia sibi ipse auguratur. ingressio carminis talis est, ut semper paululum ascendat, deinde descendat et mora interiecta denuo ascendat et descendat. qua re exspectationis et tristitiae affectus exprimitur. neque in fine neque in media parte carminis affectus usquam validior evadit quam in ceteris partibus. commotio totius carminis propria depingitur minutis particulis et soluta dispositione. paululum aliter res se habet in undecimo Theocriti carmine. singulae partes hic maiores sunt quam in tertio carmine. neque usquam intermissio fit. sed ne hic quidem ipso carminis cursu in altius effertur affectus, neque in extremo carmine neque alio quoquam loco. variatur carmen questibus allocutionibus narrationibus promissionibus laudibus pulchritudinis et vitae beatae, quam Cyclops degit, sese excipientibus. sub finem carminis Cyclops ipse se revocat ad opera severiora et graviora, quae amore Galateae impeditus diu neglexit. minatur se ad alias puellas faciliores iturum. hoc quod ultimum diximus Vergilius quoque expressit: Corydon se revocat simili modo atque Cyclops. quae differentia in universum inter Vergili et Theocriti carmen intercedat, et praecipue inter has duas revocationes, alio loco nobis tractandum erit. (Theocriti enim totum carmen ridiculum et iocosum, Vergili plenum vehementissimi affectus et desperationis est). hic non nisi in dispositionem inquiramus, quae apud duos poetas valde diversa est.

Facile perspici potest secundam eclogam uno tenore et uno cursu ascendere usque ad versum 55, ubi quasi culmen totius carminis positum est, deinde nonnullis gradibus descendere usque ad eum locum, quo Corydon similiter atque Cyclops Theocriteus revocat sese a pernicioso amore. affectus quoque, qui super totum carmen effunditur, ita moratus est, ut usque ad eum locum, quem quasi culmen carminis esse diximus, semper validior et vehementior fiat, deinde paululum infirmetur et in summam desperationem transeat. incipit Corydon allocutione pueri amati (similiter ac pastor tertii carminis Theocriti), queritur se tempore insolito illo loco cantare. dubitat, an melius fuerit Amaryllida ferre, quamvis iracunda et fastidiosa fuerit, monetque puerum, ne nimis pulchritudini suae confidat. hic finis primae partis est, quae concluditur re ad suspicionem metumque amantis suscitandum idonea:

O formonse puer, nimium ne crede colori:
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur. (v. 17/18)

sequitur eodem fere modo atque in Cyclope Theocriteo enumeratio divitiarum et laus pulchritudinis et cantus (19—27). tertia parte (28—44) continentur laudes vitae rusticae et cantus pastoralis: videmus iam fiduciam magis et magis augeri. praeterea puerum donis rusticis oblatis pellicere conatur, ut precibus suis faveat. haec quoque pars carminis similiter ac prima pars desinit in rem idoneam qua metus et suspiciones Alexidi excitentur: cum enim de donis loquitur, quae Alexidi praeparet, addit iam pridem puellam quandam, Thestylim nomine, ea cupere, seque ei obsecuturum, cum Alexis ea spernere videatur. quae res expressa est e tertio Theocriti carmine 34—36. sed Vergilius eam in fine partis in se conclusae ponit, scilicet, quia tali modo vis eius augetur. ea quae sequitur parte (45—55) spes et fiducia summum fastigium assequuntur. affectus non absimilis est — si parva licet componere magnis — vatis divino spiritu inflati: nam quasi Alexin iam ad se perduxerit, depingit beatitudinem vitae rusticae et uberrimam copiam florum et fructuum ante nos expandit. nymphae ipsae praesto sunt:

tibi lilia plenis
Ecce ferunt nymphae calathis.

nomina florum et fructuum quae hic occurrunt maximam partem etiam apud Theocritum leguntur, sed non ut hic uno loco coacervata, sed diversis locis dispersa. Vergilius omnia in unum locum congessit addiditque nova:

Addam cerea pruna: honos erit huic quoque pomo.

ita ut cognoscamus hoc ei maxime bucolicum visum esse. et legimus in nona ecloga, ubi se ipsum significat poeta (19/20):

Quis caneret nymphas, quis humum florentibus herbis
Spargeret aut viridi fontes induceret umbra?

qui versus non minus ad nostrum locum pertinent quam ad versus quosdam quintae eclogae (20 et 40), quo viri docti eos semper rettulerunt. si ad res respicimus, exaggeratio ei de quo loquimur loco inest, si ad affectum, hyperbola. nam commotio paene furentis est aut aegroti aestu febrique affecti. itaque haud mirum potest videri hunc locum in apostropham desinere (54/55):

Et vos o lauri, carpam et te, proxuma myrte,
Sic positae quoniam suavis miscetis odores.

postquam affectus hunc calorem assecutus est, subita mutatio fit: oriuntur dubitationes quaedam, quibus vis spei insomnii similis plane infringitur, quin etiam convertitur in adversum. eodem modo quo spes ad summam altitudinem surrexit, nunc desperatio gravissima fit. diximus affectum infringi: quod indicatur particulis minutis sine iunctura solute positis (56/57; 58/59; 60—62; 63—65; 66—68), cum antea nonnullae partes maiores distingui possint. modo se ipse, modo puerum alloquitur. cognoscit se insanum esse, tamen necesse est cedat amori. ultimis demum quinque versibus se revocat similiter atque Cyclops sibique crimini dat, quod opera necessaria diu neglexit, cum non nisi insano amori se totum dederit. graviter totum carmen concluditur versu:

Invenies alium, si te hic fastidit, Alexim.

versus Theocriti (XI 76):

*Εὑρησεῖς Γαλάτειαν ἴσως καὶ καλλίον' ἄλλαν*

exemplo ei fuit, sed cum Cyclops eum proferat, risus movendi causa positus est. apud Vergilium hic versus desperatione abundat consultoque in fine carminis positus videtur esse, cum re quam gravissima et summo affectu plena poeta conclusionem facere vellet.

In universum si secundam Vergili eclogam contemplamur, apparet dispositionem esse simplicem et facile perspicuam, cum carmen uno tenore et uno cursu ad fastigium ascendat, deinde minoribus gradibus descendat. quodsi ad affectum respicimus, non ubique aequabilis est, sed augetur et minuitur, quod ipsius carminis dispositione significatur. praeterea hic iam notetur Vergilium quantum potest id spectare, ut singulas partes separatas et ita, ut in se conclusae sint, ponat, easque graviter et expresse concludat. quod magni momenti ad artem Vergili perspiciendam videtur esse. cum enim carmina eius cum Theocriti carminibus conferimus, semper poeta Romanus quod attinet ad conformationem et dispositionem plane dilucidus est, cum Graecus adamet singulas res quam maxime inter se implicare, quasi velit latere, quomodo carmina disposita sint. semper transgressiones diligenter tectae sunt neque usquam, ut semper apud Vergilium, incisio

occurrit. quod patebit, cum initium tertiae eclogae paulo accuratius inspexerimus.

Sed priusquam ad Vergili carmen accedamus, quintum Theocriti carmen, quod poetae nostro exemplo erat, contemplemur. argumentum hoc fere est. occurrunt inter se duo pastores, Comatas et Laco, suum quisque gregem agentes. monet suum uterque pecus, ne propius ad alterum accedat; nam uterque alteri furtum crimini dat. quibus e criminibus lites et convicia oriuntur. Comatas affirmat numquam se fistulam furatum esse, cuius rei Laco eum insimulat. quem ut mendacii coarguat, Laco ad certamen musicum provocat brevi eum devictum iri sperans. sed dum praemia proponunt, denuo controversiae oriuntur (25 — 30), eodem modo quo in electione locorum quae sequitur. Comatas ad certamen properat: ἔρισδε breviter dicit (30). sed Laco quam lentissime omnia praeparat: μὴ σπεῦδ'· οὐ γάρ τοι πυρὶ θάλπεαι (31), scilicet ut ante pugnam ipsam certissima spe victoriae se delectet alterumque irritet. itaque Comatam ad locum amoenum invitat, cuius pulchritudinem et iucunditatem multis verbis describit. ad hoc Comatas non statim respondet, sed indignatus est, quod Laco, qui iunior sit, sibi maiori natu aliquid praescribere audeat: qua ipsa re commoti denuo convicia invicem iactant omnium quae huc usque audivimus acerbissima, cum ad res obscenas alludant. Laco incidit lites (44) repetitque, quae antea postulavit:

Ἀλλὰ γὰρ ἕρφ', ὧδ' ἕρπε, καὶ ὕστατα βουκολιαξῇ.

cui respondet Comatas se non illuc venturum esse, cum ipse locum amoenum elegerit, quem eodem modo atque ille describit denuo Laco alterum ad suum locum perducere conatur enumeratque, quicquid iucundi illic inveniatur (50 — 54). eodem modo Comatas (55 — 59) locum sibi probatum multis laudibus effert. quae duae descriptiones ita dispositae sunt, ut altera ad alteram respondeat. repetuntur eadem verba eodem versus loco: τῇδε πατησεῖς 50: ὧδε πατησεῖς 55; μαλακώτερα 51: μαλακώτερα 57; στασῶ 53: στασῶ 58; γάλακτος 53: γάλακτος 58. quae res magni momenti videtur esse: nam quodammodo hoc iam certamen ante certamen ipsum appellari potest: alter alterum superare conatur descriptione, cui plus illecebrarum insit, utiturque (ut in certamine fieri solet) libenter eisdem verbis atque alter, quibus novam vim inicere studet. praeterea autem tot res

amoenae et iucundae commemorantur, ut illa convicia et verba obscena, quae antecedunt, pedetemptim leniantur et quasi in oblivionem adducantur, et acerbitas transeat in ludum. postquam de loco quo assidant convenire non potuerunt, de iudice eligendo deliberant. Laco optat, ut pastor quidam, Lycopas nomine, adsit; qui cum nusquam conspici possit, proponit Comatas, ut Morsonem qui forte prope est vocent; sed cum Laco auctor certaminis sit (cf. 19/20), Comatas instat, ut hic Morsonem vocet, etsi ei notus non est. hic quamquam non convicia invicem iactant, tamen se gerunt, quomodo adversarii ante iudices agere solent. Morsonem postquam appropinquavit uterque monet, ut sine ira et studio iudicet. sed fieri non potest, ut sine litibus usque ad certamen ipsum perveniant. Comatas enim cum Laconem sciat non libenter audire se servum esse, ad verba quibus iudicem hortatur addit: ἅδε τοι ἁ ποίμνα τῶ Θουρίω ἐστὶ Σιβύρτα (72). ira inflammatus Laco respondet minime opus fuisse dicere, cuius grex sit, garrulum Comatam esse. Comatas quasi nihil dixerit, quo alter offendi posset, respondet se vera omnia pronuntiare: neque negavit se quoque servum esse dominique cuiusdam gregem pascere: Εὐμάρα δὲ τὰς αἶγας ὁρῇς φίλε τῶ Συβαρίτα[1]. deinde Laco Comatam ad cantandum admonet, sed verbis acerbissimis (78/79):

Εἶα λέγ', εἴ τι λέγεις, καὶ τὸν ξένον ἐς πόλιν αὖθις
Ζῶντ' ἄφες

et denuo indignationem suam declarat, cum addat:

ὦ Παιάν, ἦ στωμύλος ἦσθα Κομᾶτα.

hic prooemium ad finem perductum est incipiuntque carmina alterna.

Breviter complectamur quod de conformatione huius carminis diximus. ita dispositum est, ut e litibus et conviciis duorum pastorum certamen musicum oriatur; sed altercatio quae certamen antecedit in aequo est ipsis carminibus alternis. semper de integro, postquam controversias iam compositas credidimus, iurgium oritur: ubi praemia deponuntur, ubi loca eliguntur, ubi Morso vo-

1. Etsi fortasse difficultas huic versui insit, tamen putaverim eum deesse non posse, quippe quo verba Comatae: ἐγὼ μὲν ἀλαθέα πάντ' ἀγορεύω κοὐδὲν καυχέομαι confirmentur. v. Wilamowitz, Textgeschichte der griech. Bukoliker p. 235, hunc versum delere vult.

catur, ubi iudici praecepta dantur. inter quae uno loco altercatio in certamen transire videtur, ubi suum quisque locum splendidissimis coloribus exornare studet. imprimis versus 50—54, ubi Laco loquitur, versibus 55—59 Comatae ita ex adverso positi sunt, ut iam non discerni possit, utrum hic certamen incipiat necne. poeta, ut proxime ad vitae veritatem, qualis mimum decet, accedat, omnia inter se quam maxime implicare conatur, ita ut nusquam mora aut incisio fiat, sed, ut re vera fieri solet, alterum ex altero libere et simpliciter oriatur et in alterum transeat; itaque ne ante certamen quidem inciditur.

Hic mimus Theocriti Vergilio ante oculos erat, cum eclogam tertiam conciperet. cuius argumentum hoc fere est. occurrunt inter se duo pastores, Menalcas et Damoetas; initium carminis expressum est e primis versibus carminis quarti Theocriti: hic Corydon illic Damoetas alienum pecus pascit, cuius possessori apud utrumque poetam nomen Aegoni est. apud Theocritum Battus, apud Vergilium Menalcas alteri obicit, quod male alienum pecus pascit (IV 3):

Ἦ πᾶ ψε κρύβδαν τὰ ποθέσπερα πάσας ἀμέλγεις;

quod Vergilius exacerbat, cum dicit (5/6):

Hic alienus ovis custos bis mulget in hora,
Et sucus pecori et lac subducitur agnis.

Damoetas acerbissimis verbis respondet obscenique aliquid Menalcae crimini dat:

Parcius ista viris tamen obicienda memento.
Novimus et qui te transversa tuentibus hircis
Et quo — set faciles nymphae risere — sacello.

apud Theocritum in quarto carmine minime convicia oriuntur, et tota res iocose magis dicta est quam ut acerbitate alter offendatur. Vergilius autem hic transit ad imitationem carminis Theocritei quinti, quod supra contemplati sumus. illa obscena responsio Damoetae sumpta est in universum e Theocr. V 41 sqq. ergo lites inter pastores ortae sunt: eodem modo atque apud Theocritum Damoetas Menalcae invidiam crimini dat (Th. V 12/13. Verg. III 15), et Menalcas furtum:

Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum
Excipere insidiis multum latrante Lycisca?
Et cum clamarem „quo nunc se proripit ille?
Tityre, coge pecus!“ tu post carecta latebas.

Damoetas respondet iure se caprum illum Damoni ademisse, cum certamine musico eum vicerit. hic perinde atque apud Theocritum certamen proponitur: deponuntur praemia, Damoetas dat vitulam, Menalcas poculum faginum. Damoetas non contentus est: sibi simile poculum esse. suum uterque poculum describit, ita ut hi versus quodammodo inter se respondeant (cf. verba „in medio“ 40 et 46; v. 43 cf. cum v. 47) similiter ac descriptiones locorum amoenorum apud Theocritum. iam altercatio ad finem pervenit, vocatur Palaemon, ut iudicis partes subeat. sequuntur verba Palaemonis, quibus mollis herba et pulchritudo naturae aestivalis celebrantur et pastores ad cantandum monentur. clare igitur atque ita ut neminem fugere possit, hic poeta perspicuum facere studet altercationem desinere et certamen incipere: ipsis verbis iudicis distinguuntur duae partes carminis. omnia autem quae praecedunt (aliter atque apud Theocritum) non nisi ad certamen tendunt. quod iam in secunda ecloga animadvertimus, cursus carminum Vergilianorum longe diversus est a Theocriteis. in his enim sermo pastorum amoenissime et iucundissime aut iocando aut litigando vagatur multaque, quae imaginem vitae rusticae ante oculos nostros suscitent, expanduntur, quin etiam (cf. Theocr. IV 50) actio immiscetur. aliter apud poetam Romanum: unus cursus et unus tenor carmini inest, qui ad certum quendam finem spectat, ut hic ad certamen. itaque furti crimen, e quo facile certamen oriri poterat, in fine conviciorum positum est. cetera quae antecedunt pauca (si ad Theocritum respicimus) crimina e copia multarum rerum a poeta Graeco oblatarum electa sunt: praeter ea quae Vergilium e quarto Theocriti carmine sumpsisse diximus duo crimina hic occurrunt: alterum quod ad rem obscenam pertinet acerbissimum (7 — 9), alterum crimen invidiae (12 — 15). quae omnia in unum congessit, ita ut prima pars carminis controversias habeat, parte secunda certamen praeparetur, tertia certamen ipsum contineatur. quae tres partes inter se distinguuntur, ita ut facile perspici possit hic alteram desinere alteram incipere. nusquam autem res ad alteram partem pertinens alteri innectitur. ac notandum est apud Vergilium Palaemonem iudicem loquentem induci, cum Morso apud Theocritum persona muta sit: nimirum, ut Palaemonis verbis incisio fiat inter certamen et partem carminis antecedentem. quas autem apud Theo-

critum descriptiones locorum pulchrorum altercationi immixtas invenimus, has Vergilius (etsi differentia interest, vel eo quod verba Palaemonis multo breviora sunt) iudici attribuit, et ipsis verbis (55—57):

Dicite, quandoquidem in molli consedimus herba.
Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos;
Nunc frondent silvae, nunc formonsissimus annus.

animus lectoris revocatur a conviciis et ad certamen musicum praeparatur. nam cum apud Theocritum et carminibus alternis verba acerba et quae adversarium offendant immisceantur et in fine e verbis Comatae aperte laetitia victoriae partae et adversarii superati eluceat (141 sqq.), apud Vergilium post versum 27 controversiarum noniam mentio fit (nisi verba Menalcae 51:

Efficiam, posthac ne quemquam voce lacessas

huc referre velis). post certamen ne iudicium quidem fit:

Non nostrum inter vos tantas componere lites.

poeta Romanus praeter alia eo quoque a poeta Graeco differt, quod in carminibus suis omnia, quae ille ad veritatem vitae quam accuratissime exprimendam inter se implicat, quam maxime separatim ponere studet, ita ut carmen stet aedificii instar, cuius singulae partes earumque apta compositio et congruentia statim in conspectum cadant. e multitudine rerum a poeta Graeco porrectarum Vergilius paucas eligit, et in universum omnia apud eum multo brevius tractantur. interpretatur quasi singula, quid ad carminis compositionem valeant, cum Theocritus iis utatur, ut legentes in mores vitamque pastorum inducat. sic initio carminis quinti Theocritus, cum invicem furti pastores se insimulant, multa alia quoque leviter tangit: audimus, ubi tota res agatur, qui domini Comatae et Laconis sint, commemorantur nomina aliorum pastorum Corydonis Lyconis Crocyli. Vergilius simili in re multo brevior est: incusationem statim sequitur excusatio — iam ad eum locum pervenimus, ubi alter alterum ad certamen provocat. paene dixi furtum ideo solum commemorari, quo via ad certamen musicum patefiat. qui fit, ut Vergilius nonnumquam durior quam Theocritus videatur. cuius rei causae unde repetendae sint, difficile est explicare. fortasse timebat, ne perspicuitas carminum, de qua supra locuti sumus, nimia copia singularum et minutarum rerum obscuraretur. praeterea ingenium eius tale erat, ut quan-

tum fieri poterat granditatis appetens a rebus humilibus et minutis abhorreret.

Quoquo modo res se habet: cum in tertia ecloga nonnullas res inveniamus, quibus carmen (etsi multae differentiae intercedunt) mimi Theocritei quodammodo simile redditur, in quinta ecloga poeta nimis accurata imitatione relicta suum magis ingenium secutus illas res humiles (ut lites et controversias et furta) plane omittit. tres modo relinquit: electionem loci ad cantandum idonei, mutuas laudes, mutua dona. carmen ita dispositum est, ut duo pastores inter se occurrant et carminibus alternis sese delectare constituant; dum ad locum electum, antrum amoenum, se conferunt, non nisi de cantu loquuntur: Menalcas laudat Mopsi artem canendi, qua Amyntam (pastorem quendam, de quo praeter id, quod cantandi peritus est, nihil audimus) valde superet:

Montibus in nostris solus tibi certat Amyntas (8).

et 16—18:

Lenta salix quantum pallenti cedit olivae,
Puniceis humilis quantum saliunca rosetis,
Iudicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.

audimus quid pastores canere soleant (10/11):

si quos aut Phyllidis ignes
Aut Alconis habes laudes aut iurgia Codri.

solo versu 12:

Incipe, pascentis servabit Tityrus haedos

monemur hos pastores greges secum habere; sed huic rei nihil fere momenti inest. gravis incisio fit versu 19:

Set tu desine plura puer; successimus antro.

Vergilius in medio relinquit, quo modo pastores de hoc loco convenerint. ineunte carmine duo loca amoena describuntur:

Sive sub incertas zephyris motantibus umbras,
Sive antro potius succedimus. aspice, ut antrum
Silvestris raris sparsit labrusca racemis.

sed non audimus, utrum pastores praeferant. apud Theocritum (V 29) id ipsum, quod Comatas et Laco de loco quo cantent convenire non possunt, causam controversiarum esse vidimus. sed putaverim Vergili ut aliis locis hic quoque non tam actionis interesse quam ut descriptione locorum pulchrorum quasi colore bucolico totum carmen perfundat. nam et hic et ille iucundus

et amoenus est, neque multum interest, utrum eligant pastores, neque disceptatione opus est, praesertim cum Menalcas et Mopsus urbanissimi sint. — sequitur prius carmen, quo Mopsus Daphnin mortuum nymphasque et naturam maerentes celebrat. quo perfecto nimiis fere laudibus a Menalca effertur (45 — 49):

Tale tuum carmen nobis, divine poeta,
Quale sopor fessis in gramine, quale per aestum
Dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo.
Nec calamis solum aequiperas, set voce magistrum;
Fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo.

deinde Menalcas Daphnin ad caelum elevat. quod carmen invicem laudibus Mopsi effertur (81 — 84):

Quae tibi, quae tali reddam pro carmine dona?
Nam neque me tantum venientis sibilus austri
Nec percussa iuvant fluctu tam litora nec quae
Saxosas inter decurrunt flumina valles.

finitur carmen mutua donatione (85 — 90):

Hac te nos fragili donabimus ante cicuta.
Haec nos: 'Formonsum Corydon ardebat Alexin',
Haec eadem docuit: 'Cuium pecus? an Meliboei?'
— At tu sume pedum, quod me cum saepe rogaret,
Non tulit Antigenes (et erat tum dignus amari)
Formonsum paribus nodis atque aere, Menalca.

Apud omnes huius carminis commentatores scriptum invenimus Vergilium quinta ecloga sextum Theocriti carmen imitatum esse: duas praecipue res ex eo sumpsit, primum quod uterque pastor longius profert carmen, non modo binos aut quaternos versus, deinde quod non certaminis, sed delectationis causa pastores cantant, et quod non victori praemium attribuitur, sed mutua dona sibi dant. mollis aliquid et delicati illi carmini inest, quod Vergilio placuisse videtur. sed etsi alibi multo brevior quam Theocritus esse solet, hic res a Graeco poeta paucis versibus dictas ampliat. colores partim traxit e primo carmine Theocriti (cf. Verg. v. 45 sqq. supra laudatos cum Theocr. I 7 sqq:

*Ἅδιον, ὦ ποιμήν, τὸ τεὸν μέλος ἢ τὸ καταχές*
*Τῆν' ἀπὸ τᾶς πέτρας καταλείβεται ὑψόθεν ὕδωρ.*

sed cumulatione comparationum etiam hic Theocritum super-

gressus est.) hoc quoque in carmine observari potest omnia ad carmina alterna tendere et spectare: efficit poeta, ut omnia in hac ecloga inter se congruant neque quicquam alieni inveniatur. carminibus alternis cum maiestas et granditas insit, cetera omnia iis accommodata sunt. convicia et aliae res humiles ad hoc carmen non quadrant. Menalcas et Mopsus non tam pastores sunt quam poetae pastorali modo carmina condentes.[1] non dubitabimus dicere e quinta ecloga magis quam e secunda et tertia ipsius Vergili ingenium elucere: nam hic primum ausus est vestigia poetae Graeci relinquere. hac ecloga via munitur ad carmina posteriora ut primam et quartam eclogam.

De s e p t i m a ecloga hoc loco disserimus, non quo (ut ceteri fere omnes viri docti) eam statim post II III V conceptam putemus esse, sed quia, cum de eius tempore nihil certi sciamus, commodum est eam post tres eclogas mere bucolicas tractare. constare videtur eam, si ad totius carminis conformationem respicimus, tempori posteriori assignandam esse. nam qui eam statim post quintam scriptam putant, ea re ad hanc sententiam adducuntur, quod omnes eclogas mere bucolicas una et ante ceteras conceptas arbitrantur, quod minime demonstrari potest neque verisimile est. quodsi Witte[2] putat septimam ante ceteras eclogas omnes ponendam esse, nemo ei assentietur, et quod eam non tam perfectam et perpolitam censet esse quam ceteras, hoc etiam falsum est. contra cum magis in se conclusa sit quam ceterae, et, si ad conformationem respicimus, simplicissima fere omnium, et cum viderimus ante omnia Vergilium simplicitatem et perspicuitatem dispositionis petere, tantum abest, ut eam ante ceteras omnes ponamus, ut eam in numero maxime perfectarum habendam credamus esse.

Meliboei narratio est tota ecloga s e p t i m a, non solum prooemium, sed etiam ipsa carmina alterna. qua re efficit poeta, ut totum carmen unum et simplex sit neque singula membra in adversas partes discedant. exemplum huius eclogae omnes commentatores octavum carmen collectionis bucolicorum, quod falso Theocrito adscribitur, affirmant esse. cui carmini mollius aliquid et solutius quam ipsius Theocriti carminibus inesse iam viri docti

1. cf. Cartault, Et. sur les buc. de Virg. p. 150.
2. Der Bukoliker Vergil p. 13.

viderunt.[1] qua de causa propinquitate quadam cum ipsius Vergili ingenio coniunctum videri potest. sed hoc carmen etiam solutius ac liberius est quam ipsius Theocriti carmina: iam quod carmina alterna a Daphnide et Menalca prolata e binis distichis consistunt, et quod pentametri hexametris immiscentur, contra morem Theocriti severiorem videtur esse. praeterea carmen varium est eo, quod duo modi certaminis apud Theocritum ipsum nusquam coniuncti hic in eodem carmine occurrunt: primo pastores certant ternis carminibus inter se oppositis, deinde singulis longioribus carminibus.

Apud Vergilium res se habet eodem modo, quo iam antea vidimus eum carmina conformare. hic quoque certamen ipsum gravissima pars carminis est, quo expanditur ante oculos nostros copia diversarum rerum, quibus multum bucolici coloris inest, qualem Vergilius adamat: de cantu agitur, de donis quae deis offeruntur, laudem Galateae puellae pastoralibus sed nobilibus comparationibus exornatam audimus, opponuntur inter se descriptiones temporis aestivi et hiberni, binis ultimis carminibus continentur nomina arborum et fructuum, quorum uberrima copia ad sensum vitae bucolicae adducimur. initium eclogae ita conformatum est, ut non narretur, quo modo certamen ortum sit, aut ipsi pastores loquentes et respondentes inducantur, sed omnia quae certamen antecedunt a Meliboeo narrentur. qua ipsa re poeta Theocritum vel potius imitatorem eius supergressus est, nimirum quia eum taedebat eandem aut similem conformationem, qua iam antea usus erat, repetere. nam carmina alterna, quae sermo pastorum praecedit, iam tertia ecloga complectitur, prooemium breve, quo poeta loquitur, secundae eclogae praemissum est. certe a veritate vitae poeta hac ipsa re etiam longius recedit quam in prioribus carminibus, neque usquam poeta Graecus tali conformatione usus est. Vergilius prooemium septimae eclogae suavissima narratione ampliavit, qualis nusquam apud Theocritum invenitur: Meliboeus refert caprum sibi aberravisse, quem cum quaereret, incidisse se in Daphnin Corydonem Thyrsim pastores sedentes sub arbore. a Daphnide se invitatum esse ad audiendum, sed non sine aliqua dubitatione se animum induxisse manere et

1. v. Wil., Textg. d. gr. Buk. p. 122. — Jachmann N. J. 1922 p. 103.

res necessarias neglegere. hac in re aliquid morum Romanorum animadverti potest, cum Meliboeus, ut agricola Romanus facere possit, non tam securus et vitae liberioris amans quam pastores Theocritei, dubitet, utrum cantui sibi adesse fas sit an non. — concluditur carmen duobus versibus Meliboei:

Haec memini et victum frustra contendere Thyrsim.
Ex illo Corydon Corydon est tempore nobis.

videmus igitur poetam non omnia narrare velle, neque quo modo diiudicetur Thyrsim inferiorem esse, neque quo praemio Corydon ornetur: iam initio carminis vidimus poetam abhorrere a rebus consuetis, quibus certamen praeparatur, et ea de causa eum haec omnia plane omittere et suaviores et novas res iis substituere. eodem modo versibus in fine positis docemur poetae ante cetera omnia certamen ipsum cordi esse. — verbis autem 'haec memini' conclusio fit gravissima, et eadem vis versui:

Ex illo Corydon Corydon est tempore nobis

inest. apud Theocritum nusquam talis conclusio expressis verbis facta occurrit. mimi proprium est, ut non tam una res in se conclusa, sed imago vitae verae detur: quo modo apud Theocritum pastores ante oculos nostros iocantur, litigant, carminibus certant, amores suos cantant, semper hoc facient: carmine autem illustratur non nisi punctum temporis quoddam. paulisper inducimur in vitam pastorum, sed postquam eam reliquimus, eodem modo continuatur. inducimur quasi in theatrum, ubi aulaeo submisso ludus non finitur. aliter hoc apud Vergilium se habet. nusquam fere deest significatio, qua demonstretur iam carmen ad finem pervenisse. itaque non casu factum est, ut hic versus, cuius summa vis in brevitate posita est, in fine carminis legatur. simili modo omnia fere carmina libri eclogarum concluduntur. nonnumquam significatur iam vesperum adesse, qua hora diei pastores et agricolae gravi labore liberantur et pastores oportet greges saepibus includere. sic tertiae eclogae ultimo versu:

Claudite iam rivos, pueri, sat prata biberunt

et dies et carmen ad finem pervenit.[1] prima ecloga in expressam imaginem vesperi venientis exit. sexta quoque ecloga, praesertim cum non omnia, quae Silenus cantavit, carmina referantur, tali modo concluditur:

1. cf. Serv. ad loc. et Jachmann l. c. p. 109.

Omnia, quae Phoebo quondam meditante beatus
Audiit Eurotas iussitque ediscere lauros,
Ille canit (pulsae referunt ad sidera valles),
Cogere donec oves stabulis numerumque referri
Iussit et invito processit vesper Olympo.

propria vis huic conclusioni inest, utpote qua legentes ad sensum adducantur, quanta copia carminum Sileni sit: usque ad vesperum cantavit, et diutius cantavisset, nisi Chromis et Mnasyllus oves domum egissent.[1] decima quoque ecloga similem exitum habet, de quo postea nobis disserendum erit.

Nonam eclogam conformatione e Theocriti Thalysiis expressam esse viri docti adnotant. quo carmine dies festus Cereris describitur. narrat poeta se una cum duobus amicis ex urbe rus se contulisse et in media via Lycidae occurrisse. non ignoramus sub his nominibus pastorum homines illius aetatis et amicos Theocriti latere. hoc Vergilius imitatus est, cum nominibus Menalcae et Lycidae se ipse significet, sed non iam, ut poetam Graecum imitetur, sed quia haec res ab illo inventa ei usui videretur ad id quod volebat exprimendum. Lycidas et Simichidas, quod nomen ipse Theocritus sibi adsciscit, verbis iocosis invicem factis, ut veri pastores solent, certamen bucolicum instituunt singulaque carmina proferunt; quibus ad finem perductis Lycidas Simichidae baculum donat. deinde digrediuntur et suum uterque iter continuat. Lycidas sinistrorsus Pyxas migrat, Simichidas Eucritus Amyntas domum Phrasidami devertuntur ibique diem festum Cereris agitant. descriptione pulchritudinis illius loci et diei carmen concluditur.

Vergili carmen ita institutum est, ut Lycidas et Moeris forte in via inter se concurrant et alter alterum interroget, cur in urbem migret. Moeris de calamitate agrorum distributione sibi illata queritur: agellum sibi ademptum esse seque haedos, quos secum habeat, novo domino mittere.[2] Lycidas miratur, cum audierit Menalca auctore totam regionem,

qua se subducere colles
Incipiunt mollique iugum demittere clivo,
Usque ad aquam et veteres iam fracta cacumina fagos

1. cf. Jachmann Hermes 58 (1923) p. 296. Cartault p. 284.
2. cf. Jachmann l. c. p. 110.

servatam esse. Moeris ei respondet non modo ceteros illius regionis homines non servatos esse, sed etiam Menalcam ipsum in summum periculum incidisse. tum Lycidas valde commotus cum indignatione et luctu queritur Menalcam paene sibi ereptum esse additque laudes eius et ipsius Menalcae carmen bucolicum. respondet Moeris carmine eiusdem Menalcae, quod eodem modo quo prius carmen tribus versibus continetur et argumentum habet non bucolicum, sed Vari laudes. iam non de rebus adversis Menalcae aut Moeridis quicquam audimus, sed omnia ad laudes Menalcae spectant. nam illo carmine suscitatur apud Lycidam cupiditas plura carmina audiendi; verbis valde concitatis, quibus hyperbola quaedam inest, qualis animi impetum decet,[1] alloquitur Moerim:

Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos,
Sic cytiso pastae distendant ubera vaccae:
Incipe, si quid habes.

fatetur se quoque poetam esse et bucolicum poetam, cum verbis e Theocrito expressis utatur:[2]

Et me fecere poetam
Pierides, sunt et mihi carmina, me quoque dicunt
Vatem pastores; set non ego credulus illis.
Nam neque adhuc Vario videor nec dicere Cinna
Digna, set argutos inter strepere anser olores.

viri docti, nuperrime Jachmann, evicerunt sub persona Lycidae, ut antea sub Menalcae, Vergilium se ipsum significare.[3] continuantur carmina Menalcae, et eodem modo atque antea opponuntur inter se bis quini versus, illi allocutionem Galateae ad verbum fere e Theocrito (XI) expressam habentes, hi praedicationem astri Caesaris. sed iam Moerim memoria fugit, et quamvis vehementer Lycidas oret atque obsecret eum, ut paulisper morentur et canant, Moeris perseverat, ut iter persequantur:

Desine plura puer et quod nunc instat agamus:
Carmina tum melius, cum venerit ipse, canemus.

Haec carminum argumenta ea de causa tam fuse narravimus, ut videri possit, quanta copia rerum carmine Theocriteo contine-

---

1. Leo Hermes 38 p. 14.
2. Theocr. VII 36.
3. l. c. p. 112.

tur, quam paucis rebus Vergili carmen constet. apud illum omnia narrantur, quae spatio unius diei facta sunt: hic non nisi ea refert, quae duo homines, dum paululum consistunt, loquuntur. certe apud Theocritum quoque potissima pars carminis ea est, qua verba et carmina Lycidae et Simichidae referuntur, et cetera minoris momenti sunt. sed apud Vergilium totum carmen inclusum est inter id temporis punctum, quo Lycidas et Moeris inter se occurrunt, et id, quo una iter pergere constituunt. audimus verba eorum, quae loquuntur, dum consistunt; cum ire pergunt, quasi ex oculis nostris auferuntur. sic Vergilius efficit, ut carmen unum et in se conclusum sit non solum rebus, sed ipsa conformatione. illam igitur rem, quae plurimum ad conformationem ei valere videtur, sumit e Theocrito, qui ea non eodem modo utitur, cum neque occursu initium neque digressu finis carminis significetur.

Diximus iam supra maiorem partem huius carminis laudes Menalcae habere, qui ubicumque hic quasi in recessu est: quamquam eum non videmus, tamen omnia, quae dicuntur, ad eum spectant.[1] carminibus suis totam regionem, quae versibus supra laudatis describitur, delectat. cuius regionis incolae hic personis Lycidae et Moeridis significantur: paene liberavit omnes, qui illic habitant, a crudelissima privatione. inde apparet, quanta vis carminibus insit: non tam Menalcae laudes hic audimus quam in universum vatis praedicationem. fortasse hinc causa repetenda est, cur Vergilius modo Menalcae modo Lycidae personam induerit. dicere volebat nefas esse poetam, qui deorum dono multis hominibus delectationi sit, bonis privare. ut autem vitaret, ne se ipse laudaret, transtulit laudes ad Menalcae carmina et dignitatem, et ipse nomen Lycidae assumpsit, cum antea sub persona Menalcae lateret. haec Menalcae carmina non, ut multi viri docti[2] volunt, fragmenta sunt aut exercitationes Vergili, quas antea factas huic carmini inseruerit, sed ad hoc carmen concepta sunt, quibus copia argumentorum, quae Menalcae praesto sunt, significetur.[3] non modo carmina bucolica concipere scit, sed etiam maiora, quae ad res Romanas illa aetate gestas pertineant. in se conclusa sunt et per se intellegi possunt.[4] sed pauca sunt: cum autem Menalcas

1. cf. Leo l. c. p. 17.
2. Leo l. c. p. 14 aliique.
3. Leo p. 17.
4. Neque enim Leoni assenserim dicenti has partes maiorum carminum

ipse venerit, alia plura carmina referet; ergo ipse exspectandus est. haec est summa carminis.

Nonam eclogam, si ad temporum ordinem respicimus, prima sequi videtur.[1] de qua cum viri doctissimi Leo et Jachmann praeclare disseruerint, breviter loqui liceat et unum, quod illi neglexerunt, paucis verbis illustrare. et res et conformatio plane Vergili propriae sunt; itaque dispositionem hic quoque dilucidam esse exspectabimus. summa eclogae posita est in felicitate Tityri depingenda. sed Vergilius non veretur describere, quibus in rebus adversis ceteri, quibus Octavianus non eodem modo ac Tityro favit, versentur. itaque initio opponuntur inter se bis quini versus, quibus res secundae Tityri et res adversae Meliboei describuntur, sed ita, ut condicioni felici alterius plus gravitatis attribuatur quam desperationi alterius, quae tangitur his solum versibus:

Nos patriae fines et dulcia linquimus arva;
Nos patriam fugimus. (3/4).

versu demum undecimo denuo incipiunt questus Meliboei; sed interciduntur, cum Tityrum admoneat, ut sibi dicat, quis ille deus sit, quem auctorem felicitatis suae antea praedicaverit. sed non statim ad ipsius dei laudes ille transit; consistit in gradu inferiore, cum urbem Romam rusticis comparationibus illustret; nam hic quasi mundus est, in quo ille deus regnat, ipse autem huius mundi potissima pars est. qua ipsa re iam ampliatur carmen, quod condicio horum pastorum quodammodo ad res maiores et ad rem publicam pertinentes refertur. postquam narravit, qua de causa Romam profectus sit, ad culmen totius carminis pervenimus, quod continetur versibus 40—45:

Quid facerem? neque servitio me exire licebat
Nec tam praesentis alibi cognoscere divos.
Hic illum vidi iuvenem, Meliboee, quotannis
Bis senos cui nostra dies altaria fumant.
Hic mihi responsum primus dedit ille petenti:
'Pascite ut ante boves, pueri, submittite tauros.'

aliquo circuitu igitur huc pervenimus; sed non dubium est, quin omnia antea dicta huc spectent. postquam autem ad hoc quasi

nobis non notorum esse. non enim video, cur antecedentia carmina minus in se conclusa sint quam vv. 46—50, quos ad hoc carmen conceptos esse Leo quoque censet.

1. Jachmann l. c. p. 117.

culmen montis pervenimus, non iam in regionem inferiorem descendimus. repetitur quidem res initio carminis tacta: eodem modo atque illic opponuntur inter se res secundae Tityri et res adversae Meliboei, sed multo gravius et amplius hic omnia tractantur. postquam Tityrus loquendi finem fecit, Meliboeus multis verbis, quorum copia affectus vehemens depingitur, felicitatem Tityri praedicat. quibus verbis, si ad ipsum Vergilium referimus, grato se esse in Octavianum animo testatur. excipit ea Tityrus ipse versibus, quibus illustrat, quanta fiducia rerum futurarum affectus sit:

Ante leves ergo pascentur in aequore cervi,
Et freta destituent nudos in litore pisces,
Ante pererratis amborum finibus exul
Aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim,
Quam nostro illius labatur pectore voltus.

diximus non iam nos ad inferiora descendere. quod his Tityri verbis confirmatur. nam ex eis apparet, quam arte condicio Tityri cum re publica et persona Octaviani coniuncta sit. idem observari potest in sequentibus verbis, quibus Meliboeus et suas ipsius et totius rei publicae res adversas queritur. neque iam is loquitur, quem nomine Meliboei poeta induxit, sed unus e turba eorum, qui agrorum distributione summa calamitate affecti sunt: non de se solo loquitur, sed de omnibus illis infelicibus: 'at n o s hinc alii' 'his n o s consevimus agros'. putaverit quispiam fieri non posse, ut, postquam in rebus tristissimis rei publicae Romanae tam diu morati sumus, rursus ad hilaritatem et teneritatem carminis bucolici descendamus. certe tristitia quaedam super totum carmen effusa est; tamen ante oculos nobis ponuntur hic quoque imagines bucolicae. nam versibus 75—78, quamquam Meliboeus eos profert, quasi delabimur rursus in regionem pastoralem. verbis autem Tityri, quibus Meliboeum invitat, ut noctem apud se maneat, lenitur illa gravitas et desperatio, quae aliter vix ferri possit.[1]

Sed postquam Vergilius nonam primam quartam eclogam, quibus plurimum Romani coloris inest, concepit, ad carmen mere bucolicum condendum rediit; nam o c t a v a ecloga in ultimis ha-

1. cf. Bethe Rh. M. 47 p. 590.

benda est. post hanc eum non nisi decimam scripsisse verisimile est. cum enim octava, si ad prooemium respicimus, ad triumphum Pollionis mense oct. anni 39 actum referenda sit, decima autem, ne fines triennii, quo omnes eclogas scriptas esse Donatus tradit, transgrediamur, necessario eidem anno assignetur, vix putabimus poetam inter octavam et decimam eclogam aliud carmen condidisse. fortasse septima quoque illo demum tempore scripta est; sed de hac nihil certi constare iam supra vidimus. eodem modo quo in sexta ecloga Vergilius in octava recusatione utitur, etsi hic paululum tecta est. Vahlen[1] demonstravit Pollionem optavisse, ut Vergilius facta sua carmine heroico celebraret, Vergilium ipsis illius prooemii verbis hoc recusare. loco carminis maioris hic bucolicum dat non tam sua ipsius voluntate quam Pollionis impulsus.

Habemus certamen pastorale, quod apparet e versibus 62/63. initio nihil de certamine audimus, nisi ex eo, quod duo pastores nominantur, hoc efficere volumus. quae ad actionem certaminis pertinent, non commemorantur; nescimus, qua de causa Damon et Alphesiboeus cantent, ut certent an ut se delectent. hoc unum, quod mane canere incipiunt, illustratur multis verbis. nihil sermonis innectitur: summa huius eclogae posita est in carminibus alternis, quae primis quinque versibus alte sonantibus et modum carminis bucolici valde excedentibus praedicantur:

Pastorum musam Damonis et Alphesiboei,
Immemor herbarum quos est mirata iuvenca
Certantis, quorum stupefactae carmine lynces
Et mutata suos requierunt flumina cursus,
Damonis musam dicemus et Alphesiboei.

intellegimus hos homines, quorum cantui non minor vis inest quam Orphei carminibus, non tales pastores esse posse, quales Theocritus effingit. nihil hic reliquum est, quod mimum rusticum redoleat. hi duo pastores ea solum de causa cantant, quod hoc bucolicum est, quia pastoribus, quales Vergilius carminibus suis effingit, praecipuum munus est cantare seseque carminibus delectare.[2] itaque vel ex ipso carmine, etiam si testimonia extrinse-

1. Opusc. ac. I 391.
2. cf. Vahlen l. c. p. 393.

cus arcessita deessent, appareret hanc eclogam in ultimis habendam esse.

Continentur hac ecloga duo carmina alterna, quibus commune est, quod utroque de amore agitur.[1] tali modo Theocritus quoque carmina bucolico more coniungit (e. g. sexto carmine); sed non tantopere sui iuris utrumque est quam apud Vergilium. neque defuerunt, qui censerent poetam non statim, cum haec carmina concipiebat, in animo habuisse iis tali modo uti.[2] sed cum neutrum carmen sine versu intercalari consistere possit, ea verisimile est eo consilio scripta esse, ut alterum ad alterum respondeat.[3] Vergilius versu intercalari usus est ad partes carminum inter se separandas. vidimus iam antea, cum de initio tertiae eclogae dissereremus, Vergilium quantum potest id spectare, ut unaquaeque res sola et a ceteris separata stet: quod hic versu intercalari interposito assecutus est. singulae partes prioris carminis tenui modo ligamine inter se coniunctae sunt: versibus 18—20 breviter argumentum carminis indicatur, versus 22—24 quasi ad versum intercalarem explicandum adduntur. versibus 26—30 desperatio violentissima amore decepti prorumpit causa breviter verbis 'Mopso Nysa datur' indicata. 32—35 paululum artius cum antecedentibus coniuncti sunt quam cetera; sed versibus 37—41 plane nova res incipit, quam poeta e Theocriti Cyclope (25—29) expressit. iam versibus 43—50 vim et violentiam Amoris queritur verbis sermonem altius elatum decentibus. hi quoque versus artius quam cetera antecedentibus se applicant, quippe quibus versus:

Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error

excipiatur. tamen versu intercalari hic totus locus in se concluditur et separatim ponitur; nam versus supra citatus totus ad personam pastoris pertinet, cum ea quae sequuntur, magis in universum dicta sint. hi versus 43—50 versu intercalari in duas partes dividuntur: priore enim parte quasi γένος Amoris, posteriore quasi ρεταὶ celebrantur. iam versibus 52—56 pastor ad suam ipsius calamitatem revertitur; qui, nisi versus intercalaris eos praecederet, nimis abrupte positi essent. verbo enim 'nunc' recedit

1. cf. Vahlen eodem loco.
2. cf. Bethe Rh. M. 47 p. 594.
3. quod demonstrat Crusius Rh. M. 51 p. 547.

usque ad versum 26: 'Mopso Nysa datur'. perinde atque illic hic plena desperatio effunditur, quod et hic et illic figura ἀδυνάτων nimie fere cumulata significatur. extrema quoque pars carminis, qua se ipse minatur necaturum se esse, in se conclusa est ipso versu intercalari. desinit totum carmen in versum intercalarem paululum immutatum:

Desine Maenalios, iam desine, tibia, versus.

cum antea esset:

Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.

apud Theocritum quoque in carmine Thyrsidis (I) sub finem versus intercalaris immutatur; non iam dicit:

Ἄρχετε βουκολικᾶς Μοῖσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδᾶς.

sed:

Λήγετε βουκολικᾶς Μοῖσαι, ἴτε λήγετ' ἀοιδᾶς.

sed hic versus quater repetitur, cum apud Vergilium uno versu:

Desine Maenalios, iam desine, tibia, versus

finis carminis significetur. in universum si intuemur, quo modo poeta Graecus et poeta Romanus hoc versu usi sint, dixerim apud illum versu intercalari progressum cantus indicari, apud hunc ad ipsam carminis conformationem eum multum valere, quippe quo singulae partes ita separentur, ut quam maxime in se concludantur. nam si ad primum Theocriti carmen respicimus, videmus carmen ipsum per se constare, versu autem intercalari legentes moneri hoc carmen a Thyrside cantari. ad dispositionem carminis hic versus nusquam referri potest; quin etiam v. 84 media in periodo ponitur, quod apud Vergilium nusquam fieri poterat. paululum aliter res se habet in secundo Theocriti carmine, quod Vergilio ante oculos erat, cum posterius carmen huius eclogae conciperet. hic Theocritus quoque versu:

ἶυγξ ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα

distinguit singulas partes carminis, quibus singula veneficia et cantiones continentur. non opus est demonstrare Vergilium eadem conformatione usum esse.

Sed quamquam singulae partes utriusque carminis solute et versu intercalari interiecto seperatim positae sunt, tamen ambobus carminibus eadem vis affectus idemque tenor et cursus videntur inesse. quamvis diversa carminum argumenta sint — nam pastorem illum desperatio ad mortem voluntariam deducit, cum

puellae vota prospere eveniant; praeterea prius carmen questus, posterius actionem habet — tamen conformatione inter se similia sunt, cum in utroque summa vis affectus et concitationis in fine eluceat. versus ultimi carminis Damonis (59/60):

Praeceps aerii specula de montis in undas
Deferar; extremum hoc munus morientis habeto

expressi sunt e Theocriti versibus III 25—27:

*τὰν βαίταν ἀποδὺς ἐς κύματα τηνῶ ἁλεῦμαι,*
*ὧπερ τὼς θύννως σκοπιάζεται Ὄλπις ὁ γριπεύς·*
*καἴ κα δὴ ᾿ποθάνω — τό γε μὰν τεὸν ἁδὺ τέτυκται.*

qui versus apud Theocritum medio in carmine leguntur; quodsi Vergilius iis ad carmen concludendum usus est, consulto hoc eum fecisse putabimus. neque causa longe repetenda est: his enim versibus in hoc carmine actio quaedam effingitur, ita ut omnia quae praecedunt, hanc actionem quasi praeparare videantur; dicit ipse pastor initio carminis: 'divos ..... extrema moriens tamen adloquor hora'. itaque summa carminis in his versibus posita est, quibus validissimus affectus ad finem perducitur. nec deest gradatio quaedam, qua leniter et lente via ad culmen carminis munitur: versibus 36—41 amans describit, quo modo Nysam primum viderit. qui versus praeter ultimum:

Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error

paene liberi ab affectu sunt imaginemque placidam et serenam ante oculos ponunt. deinde commotio vehementior fit versibus 42—50; e versibus autem insequentibus 52—56 summa desperatio emicat: totius mundi et naturae ordo infelici inversus videtur esse. quibus versibus praeparantur minae, quas in fine legimus.[1]

Similiter res in posteriore carmine se habet. quod si cum Theocriti Pharmaceutriis comparamus, videmus Vergilium rem ita instituere, ut cursus carminis ad finem quendam perveniat. nam apud Theocritum neque Delphis venit neque quicquam fit, quo spes Simaethae augeri possit; ne exspectari quidem potest incantationem statim successum habere, neque puella ipsa hoc exspectat, cum potum praeparet, quem iuveni postero die afferre vult (58):

1. cf. etiam Bethe Rh. M. 47 p. 596.

σαύραν τοι τρίψασα κακὸν ποτὸν αὔριον οἰσῶ.

illud quod extremis incantationis verbis continetur veneficium nihilo valentius est quam priora.

Contra apud Vergilium quod ultimum adhibetur medicamen efficacissimum est omnium, quibus puella utitur. praedicatur vis eius verbis:

Has herbas atque haec Ponto mihi lecta venena
Ipse dedit Moeris (nascuntur plurima Ponto);
His ego saepe lupum fieri et se condere silvis
Moerim, saepe animas imis excire sepulcris
Atque satas alio vidi traducere messis.

sed ut hoc medicamine uti possit, necesse est reliquiae priorum incantamentorum plane de medio tollantur; itaque ancillae imperat:

Fer cineres, Amarylli, foras rivoque fluenti
Transque caput iace nec respexeris.

atque denuo indicat se validiore veneno usuram esse:

His ego Daphnim
Adgrediar; nihil ille deos nil carmina curat.

tali modo Vergilius efficit, ut animus legentium exspectatione suspensus sit: tum inopinati aliquid fit. nam ancilla, quae antea nihil dixit, subito prorumpit in verba:

Aspice: corripuit tremulis altaria flammis
Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse. bonum sit.

bonum igitur omen evenit, et res etiam magis quam antea in suspenso est; accedit, quod subito canis latrat, nimirum, quia homo aliquis domum intrat:

Nescio quid certe est, et Hylas in limine latrat.

paulisper puella ipsa dubitat:

Credimus? an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?

sed iam percipimus Daphnim venisse et intellegimus, quid sibi velit versus intercalaris mutatus:

Parcite, ab urbe venit, iam parcite, carmina, Daphnis.

Alia quoque res hic observari potest. cum apud Theocritum verba Simaethae mire mixta sint et ex eis, quae ad actionem incantationis pertinent, et quibus narrat, cur et contra quem tali veneficio utatur, et quibus deas inferas invocat, et quibus queritur, apud Vergilium totum carmen restringitur ad ipsam incantationem. nihil fere audimus de Daphnide, quis sit aut quomodo

puellam laeserit, nisi quod talis est, contra quem veneficio amatorio uti opus sit. neque casu hoc factum est, sed Vergilius, cum totum carmen pastori canenti attribueret et id ageret, ut ad praecedens carmen recte responderet, omnia ea, quibus nimis gravaretur, imitatus non est. hic quoque studet, ut carmen unum et in se conclusum sit et ita dispositum, ut facile perspiciatur. itaque unam modo rem persequitur, cui alias admiscere veretur. certe haec non sola causa est, cur hoc carmen tam artis finibus restringatur.

## II.

Iam supra, cum inquireremus, qua arte Vergilius usus carmina sua composuerit, nonnumquam rem eo deducere coacti sumus, ut poetae nostro innatum quoddam studium depingendarum animi commotionum assignaremus. quod mihi tanti momenti ad artem Vergili penitus perspiciendam videtur esse, ut mihi fusius tractare in animo sit. quisquis obiter modo Vergili cum Theocriti carminibus comparavit, eum fugere non potest, quotiens poeta Romanus et fines bucolici carminis et humilis stili transgrediatur. nam cum amor quidam et vehementium affectuum et sublimitatis, aut, si in universum loquimur, exaggerationis cuiusdam, eius proprius sit, etiam iis, quae apud Theocritum simpliciter dicta sunt, grande aliquid et commotum admiscet. hanc ingenii Vergiliani notam iam s e c u n d a ecloga, quam verisimile est eum primam omnium confecisse, prae se fert. nam quamquam expressa est e duobus carminibus Theocriteis (III et XI) summa simplicitate (quam Graeci *ἀφέλειαν* vocant) et deliciis ioci cuiusdam imbutis, totum carmen plenum vehementissimi affectus est. primum enim maiorem concitationem versibus suis Vergilius attribuit eo, quod statim ineunte carmine amorem Corydonis infelicem esse dicit:

nec quid speraret habebat.

neque hoc satis est. audimus in fine prooemii denuo Corydonis amorem irritum esse:

ibi haec incondita solus
Montibus et silvis studio iactabat inani.

hoc eo magis notandum est, quod prooemium Vergilianum multo brevius est quam Theocriteum, e quo expressum est. imitatur enim

prooemium undecimi carminis. quod nisi aliunde quoque appareret, iam ex eo intellegi posset, quod Vergilius verbum *αὐτὸς* (XI 14) insigni versus loco positum reddidit verbo 'solus', cui non minus insignem versus locum attribuit. quod ad singula pertinet, differunt prooemia inter se, quia Vergilius non nisi ea dicit, quae omnino omitti non possunt. duobus versibus de amore Corydonis irrito loquitur, tribus nos ad locum ducit, ubi pastor questus suos effundit. Theocritus contra multo liberiore egressu vagatur et multas res profert, quas Vergilius neque expressit neque aliis compensavit, ut v. 9:

*ἄρτι γενειάσδων περὶ τὸ στόμα τὼς κροτάφως τε.*

(cui versui delectamentum quoddam inest, quippe quo totum carmen ad id tempus referatur, quo Cyclops adulescens erat. scimus eodem modo pictores illius aevi, quo Theocritus florebat, adamavisse Cyclopem iuvenem, quin etiam ephebum effingere.[1]) deinde compluribus versibus morem amandi Cyclopis describit:

*ἤρατο δ' οὐ μάλοις οὐδὲ ῥόδῳ οὐδὲ κικίννοις,*
*ἀλλ' ὀρθαῖς μανίαις, ἁγεῖτο δὲ πάντα πάρεργα.*

deinde poeta narrat tam vehementem amorem Cyclopis fuisse, ut curam gregis ei posthabuerit:

*πολλάκι ταὶ ὄϊες ποτὶ τωὔλιον αὐταὶ ἀπῆνθον*
*χλωρᾶς ἐκ βοτάνας·*

nunc demum ad ea pervenimus, quae Vergilius, etsi alio modo, expressit:

*ὁ δὲ τὰν Γαλάτειαν ἀείδων*
*αὐτὸς ἐπ' ἀϊόνος κατετάκετο φυκιοέσσας.*

sequentia Vergilius plane omisit:

*ἐξ ἀοῦς, ἔχθιστον ἔχων ὑποκάρδιον ἕλκος*
*Κύπριδος ἐκ μεγάλας τό οἱ ἥπατι πᾶξε βέλεμνον.*

e versibus duobus 17 et 18:

*ἀλλὰ τὸ φάρμακον εὗρε, καθεζόμενος δ' ἐπὶ πέτρας*
*ὑψηλᾶς ἐς πόντον ὁρῶν ἄειδε τοιαῦτα*

imitatus est non nisi verba ultima *ἄειδε τοιαῦτα*. prooemium igitur Vergili multo brevius est quam Theocriteum, sed etiam

1. cf. W. Helbig, Untersuchungen über die campanische Wandmalerei. Leipzig 1873, p. 261. — E. Pfuhl, Malerei und Zeichnung d. Griechen § 885, Abb. 730. — K. i. B. I, Tf. 96, 3. —

multo constrictius. nulla in re poeta moratur, sed recta via properat ad id, quod ei cordi est, scilicet questus Corydonis infeliciter amantis. item in carmine ipso omnia vitat, quae nimis humilia sunt nimisque vitam pastoralem redolent. paene dixerim ei non in animo fuisse pastorem amantem inducere, sed affectum amoris infelicis et desperationem, quae eum sequitur, depingere. nam si ad versus:

O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas?
Nil nostri miserere? mori me denique coges

respicimus, videmus poetam omnia removere, quae nimie colorem rusticum prae se ferant. qui versus expressi sunt ex illis verbis, quibus apud Theocritum in tertio carmine pastor puellam amatam alloquitur:

*Ὦ χαρίεσσ' Ἀμαρυλλί, τί μ' οὐκέτι τοῦτο κατ' ἄντρον*
*παρκύπτοισα καλεῖς; τὸν ἐρωτύλον ἦ ῥά με μισεῖς;*
*ἦ ῥά γέ τοι σιμὸς καταφαίνομαι ἐγγύθεν ἦμεν;*
*νύμφα, καὶ προγένειος; ἀπάγξασθαί με ποησεῖς.*

apud Theocritum verbis pastoris multum ethologiae admixtum est. verbum *παρκύπτοισα* optime ad mores puellae describendos refertur. neque celamur de eo, quod pastor, qui loquitur, non eximia pulchritudine praeditus est. delectatio quaedam verbo *ἐγγύθεν* inest, quasi pastor putet, si procul aspiciatur, deformitatem non nimis in conspectum cadere. quo autem loco Amaryllis sit, indicatur verbis *κατ' ἄντρον*, quem specum postea audimus hedera et filice opertum esse. quodsi dicit: *ἀπάγξασθαι*, meminimus in tragoedia non nisi feminas laqueo vitam finire: ergo verisimile est hic non virum liberum, quo talis mors indigna est, sed servum loqui. contra Vergilius nihil dicit, quo imago quaedam ante oculos legentis excitari possit. omnia ad affectum solum exprimendum spectant. nihil immiscetur, quo percipi possit hic servum loqui. immo poeta magis quam pastor videtur esse, cum de carminibus loquatur. verbo autem *ἀπάγξασθαι* substituit Vergilius nobilius et dignius vocabulum 'mori', ita ut etiam in medio relinquatur, utrum Corydon mortem sibi ipse consciturus an sola vi amoris consumptus de vita decessurus sit. — sequuntur versus 8 — 13, quibus quies et securitas naturae opponitur gravi motui et desperationi Corydonis:

Nunc etiam pecudes umbras et frigora captant;
Nunc virides etiam occultant spineta lacertos,
Thestylis et rapido fessis messoribus aestu
Alia serpullumque herbas contundit olentis.
At me cum raucis, tua dum vestigia lustro,
Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.

usus est Vergilius duobus locis Theocriteis. versum 9 expressit e Thalysiorum versu 22:

*ἁνίκα δὴ καὶ σαῦρος ἐν αἱμασιαῖσι καθεύδει.*

cicadas autem scitissime huc rettulit, quas Theocritus v. 138 commemorat:

*τοὶ δὲ ποτὶ σκιαραῖς ὀροδαμνίσιν αἰθαλίωνες*
*τέττιγες λαλαγεῦντες ἔχον πόνον.*

atque, ut multis locis, observari potest Vergilium complures locos Theocriteos in unum confundere. nam ille versus, quo *τέττιγες* commemorantur, apud Theocritum non ad tempus meridianum pertinet. — descriptionibus temporis meridiani apud utrumque poetam commune est, quod tempus insolitum significatur; mirum est tali hora aliquid fieri, quod alia hora rectius fieret. mirum est Simichidam in via esse tempore meridiei et Corydonem solum 'sole sub ardenti' cantare et queri. sed apud Vergilium descriptio amplior est, cum rem e vita rustica, non pastorali, sumptam huc traxerit:

Thestylis et rapido fessis messoribus aestu
Alia serpullumque herbas contundit olentis.

neque casu hoc factum est. nam apud Theocritum id, quod meridies est, non nimiam vim habet; Vergilius autem hac ipsa re ad affectum augendum utitur: omnes homines illa diei hora quietis et refrigerationis participes fiunt, quin etiam animalia ardorem solis vitare possunt. Corydon solus amore cogitur sustinere, quod vix tolerabile est. — simili modo sub finem carminis quies vesperi opponitur cruciatibus turbidi affectus (66—68):

Aspice, aratra iugo referunt suspensa iuvenci,
Et sol crescentis decedens duplicat umbras;
Me tamen urit amor: quis enim modus adsit amori?

conformatio totius loci redit ad versus Theocriti II 38/39:

*ἠνίδε σιγῇ μὲν πόντος, σιγῶντι δ' ἆηται·*
*ἁ δ' ἐμὰ οὐ σιγῇ στέρνων ἔντοσθεν ἀνία.*

rem autem ipsam, qua illud quasi vas a Theocrito porrectum complevit, Vergilius ipse invenit sumpsitque ex ea regione, quam non multo post Georgicis celebraturus erat. significatur illis verbis vesper veniens, sed non in universum vesper, sed ille modo, quo veniente homines ab omni labore solvuntur. ac pastores quidem sub vesperum non nisi cogunt pecus stabulis, rusticus autem bovesque liberantur a gravissimo labore, quem per totum diem in agris arandis consumpserunt. itaque nostro loco non solum dicitur: vesper adest, sed: etiam ii, qui maximo sudore et labore per totum diem alicui rei operam dederunt, nunc, cum vesper venit, soluti ac liberati sunt: ego solus non liberor. videmus igitur Vergilium etiam rebus per se non ad affectum exprimendum aptis sensum et concitationem attribuere. — similis vis inest eis versibus, qui ad suspicionem metumque pueri amati suscitandum a Corydone dicuntur. de quibus in superiore capite (p. 9 sq.) locuti sumus.

Praeterea notandum est Vergilium, quantum potest, res humiles fugere et maiora et nobiliora iis substituere. hoc quoque multum ad affectum augendum valet. exemplo sint versus Corydonis, quibus virtutes et bona sua laudat (19 — 24):

Despectus tibi sum, nec qui sim, quaeris, Alexi,
Quam dives pecoris, nivei quam lactis abundans.
Mille meae Siculis errant in montibus agnae;
Lac mihi non aestate novum, non frigore defit.
Canto, quae solitus, si quando armenta vocabat,
Amphion Dircaeus in Actaeo Aracintho.

expressi sunt hi versus e Cyclopis Theocritei versibus 34 — 40:

*ἀλλ' οὗτος τοιοῦτος ἐὼν βοτὰ χίλια βόσκω,*
*κὴκ τούτων τὸ κράτιστον ἀμελγόμενος γάλα πίνω·*
*τυρὸς δ'οὐ λείπει μ'οὔτ' ἐν θέρει οὔτ' ἐν ὀπώρᾳ,*
*οὐ χειμῶνος ἄκρω· ταρσοὶ δ' ὑπεραχθέες αἰεί.*
*συρίσδεν δ'ὡς οὔτις ἐπίσταμαι ὧδε Κυκλώπων,*
*τίν, τὸ φίλον γλυκύμαλον, ἁμᾷ κὴμαυτὸν ἀείδων*
*πολλάκι νυκτὸς ἀωρί.*

plane removit Vergilius caseum, nempe ut rem nimis humilem; commemorat non nisi lac et pecus. sed utrumque duplici modo exprimit, ita ut v. 20 ambo commemorentur, vv. 21 et 22 fusius tractentur. praeterea gravitas verbo 'mille' initio versus posito

inest. iam vero illi versus, quibus de cantu Corydon loquitur, sublimes fere sunt longeque remoti a simplicitate Theocriti. praesertim versus repletus nominibus alte sonantibus grande aliquid et nobile in se habet. — idem fere observari potest in sequentibus versibus:

Nec sum adeo informis: nuper me in litore vidi,
Cum placidum ventis staret mare; non ego Daphnim
Iudice te metuam, si numquam fallit imago.

quibus versibus reddidit poeta verba Cyclopis (Theocr. VI 34—38):

*καὶ γάρ θην οὐδ' εἶδος ἔχω κακόν, ὥς με λέγοντι.*
*ἦ γὰρ πρᾶν ἐς πόντον ἐσέβλεπον, ἦς δὲ γαλάνα,*
*καὶ καλὰ μὲν τὰ γένεια, καλὰ δέ μοι ἁ μία κώρα,*
*ὡς παρ' ἐμὶν κέκριται, κατεφαίνετο, τῶν δέ τ' ὀδόντων*
*λευκοτέραν αὐγὰν Παρίας ὑπέφαινε λίθοιο.*

invenimus apud Theocritum plenam descriptionem faciei, apud Vergilium nihil tale. certe non Cyclopem inducit, descriptioque illa Theocritea multum affert ioci et delectationis. sed legimus etiam alibi apud poetam Graecum tales descriptiones aut allusiones ad faciem formamque pastorum pertinentes (e. g. VII 14; III 8/9). non nisi semel Vergilius ad talem rem accedit, ne hoc quidem loco sine aliqua magnitudine (VIII 33/34):

Dumque tibi est odio mea fistula dumque capellae,
Hirsutumque supercilium promissaque barba.

nostro autem loco descriptioni substituit affirmationem alte quidem sonantem, sed qua res ipsa minime dilucidior fiat:

non ego Daphnim
Iudice te metuam, si numquam fallit imago.

neque aliter se habet res in iis versibus, quibus commoda vitae rusticae praedicantur (28—30):

O tantum libeat mecum tibi sordida rura
Atque humilis habitare casas et figere cervos
Haedorumque gregem viridi compellere hibisco.

in universum exemplo fuerunt versus Theocriti XI 65/66:

*ποιμαίνειν δ' ἐθέλοις σὺν ἐμὶν ἅμα καὶ γάλ' ἀμέλγειν*
*καὶ τυρὸν πᾶξαι τάμισον δριμεῖαν ἐνεῖσα.*

Vergilius lacti et caseo, rebus humilioribus, quam quibus puer amatus pellici possit, substituit maiora et iucundiora.[1] se-

1. cf. Serv. ad l.: venari et iaculari intellegamus, ut magis ad voluptatem eum quam ad laborem invitare videatur.

quitur praedicatio cantus et tibiarum, utpote ad quae potissimum studium et occupatio pastorum pertineat. haud scio an dici possit colorem totius loci similem esse laudis vitae rusticae, ita ut verbum 'humilis' praedicatio simplicitatis rusticae accipi possit. praeterea autem mihi quidem memoria revocari videtur ad locos quosdam apud poetas elegiacos occurentes, quibus vita rustica quasi splendore et felicitate mutui amoris perfusa videtur esse, ut Tib. I 2, 71—74:

Ipse boves mea si tecum modo Delia possim
  Iungere et in solito pascere monte pecus,
Et te dum liceat teneris retinere lacertis,
  Mollis et inculta sit mihi somnus humo.

in universum autem ipso genere dicendi indicatur, quanti affectus carmen sit: magna copia quaestionum et exclamationum occurrit, quae ne apud Theocritum quidem desunt, sed apud poetam Romanum cumulantur. etiam verba repetita gravem affectum depingunt.[1] diximus iam in superiore capite illam partem eclogae, quae incipit a v. 45 et desinit v. 55, quasi fastigium totius carminis esse, nec casu factum esse hanc partem in apostropham desinere.

In universum si personam Corydonis intuemur, fatendum est eam non unam et simplicem esse. nam cum initio[2] audiamus eum servum esse, ipse postea gloriatur quam dives sit. haec inter se non congruunt, aut certe non dicitur, quo modo una intellegi possint. neque putaverim poetae cordi esse, utrum Corydon servus sit necne. sed si accuratius carmen contemplamur, haec quoque affectui augendo inservire intellegimus. cum enim dicat Alexin delicias domini esse, explicat, cur necessario amor Corydonis omni spe careat. (vidimus, quantam vim poeta huic rei tribuat). sed ubi Corydon id spectat, ut Alexin ad se pelliciat, verba facit de divitiis suis, nimirum, ut precibus maior vis impertiatur. praeterea aliud quoque nonnullius momenti est, quod paulo longius repetere liceat.

Ubique enim Theocritus id agit, ut percipiamus homines simplices et inferioris condicionis loqui. et est delectatio quaedam

1. cf. Cartault l. c. p. 80.
2. cf. v. 2: „delicias domini; nec quid speraret habebat“.

in eo posita, quod hi homines, quamvis sordidae et tenues res eorum sint, tamen eadem vi amoris afficiuntur atque ceteri omnes. inter omnes constat poetas illius aetatis plurimum operae amori depingendo navavisse et e veteribus fabulis eas praecipue elegisse, quarum tale aliquid proprium erat. itaque hoc nobilissimum argumentum carminis illius aetatis est. Theocritus hunc affectum transtulit ad homines inferioris condicionis: qua re repugnantia quaedam, sed quam ipse poeta vult, oritur inter descriptionem affectus et adumbrationem rerum sordidarum et vilium. sic in tertio Theocriti carmine pastor, priusquam Amaryllida suam cantet, puero Tityro gregem commendat neque modo ei imperat, ut eum pascat, sed singula praecepta dat:

*καὶ ποτὶ τὰν κράναν ἄγε Τίτυρε, καὶ τὸν ἐνόρχαν,*
*τὸν Λιβυκὸν κνάκωνα, φυλάσσεο μή τυ κορύψῃ.*

deinde demum ad puellam se convertit. quod ridiculum videtur esse, non tamen ita, ut aperte ridere possimus; sed ironiam quandam poetae propriam esse cognoscimus, qua tegit, utrum affectus illius pastoris dignus miseratione an leni risu videatur. cum enim, quomodo pecus servet et custodiat, puero praeceperit, verba eius quae sequuntur: mortem sibi oblaturum se esse, vix videntur esse gravioris momenti. sic etiam cum dicit:

*κεισεῦμαι δὲ πεσών, καὶ τοὶ λύκοι ὧδέ μ' ἔδονται.*
*ὡς μέλι τοι γλυκὺ τοῦτο κατὰ βρόχθοιο γένοιτο*

fidem ei non habebimus, immo vero brevi eum ad gregem suum rediturum et fortasse postero die denuo Amaryllida aditurum opinabimur. eadem fere vis ironiae inest nominibus apud Theocritum commemoratis; his quoque inducimur in vitam et mores pastorum. sic in tertio carmine commemorantur *Ὄλπις ὁ γριπεύς, Ἀγροιὼ ἁ κοσκινόμαντις, ἁ Μέρμνωνος ἐριθακὶς ἁ μελανόχρως*: quae omnes personae infimae condicionis sunt, et paululum ridiculi habet, quod hic pastor, cum paene moriturus sit, earum mentionem facit. Theocritus nunquam obliviscitur addere, quae hae personae sint. accedit, quod haec nomina non e fabulis, sed e vitae veritate tracta sunt: nomina *Αἴγων Δαμοίτας Δέλφις Εὐμαρίδας Μίκων Μίλων* aliaque alibi quoque occurrunt.[1] contra quae legimus nomina

1. cf. Wendel, De nom. buc. Diss. Hall. 1899 p. 28 sqq.

apud Vergilium, omnia Graeca sunt et in Latino carmine necesse est alte sonent.

Vergilius neque, quomodo Theocritum facere vidimus, delectando lectorem allicere neque ironia uti solet: iam vidimus eum plurimum operae affectui ipsi depingendo dare omniaque removere, quae nimis humilia et vilia ei videntur esse. nusquam apud eum delectatio in eo posita est, quod repugnantia oritur inter res sordidas et abiectas pastorum et affectum expressum. ubi ad res paululum humiliores descendit, hoc ea de causa fit, ut ad sensum, si ita dicere licet, bucolicum perducamur. sic verbum 'pastor' ineunte carmine positum eam vim habet, ut cognoscamus hoc carmen bucolicum esse. ad affectum exprimendum hoc nihil valet. quodsi versu 10 nomen Thestylidis legimus, hoc Theocrito propius est, cum res humiles et abiectae exprimantur:

Thestylis et rapido fessis messoribus aestu
Alia serpullumque herbas contundit olentis.

sed hic locus unicus huius modi est, neque postea tale quicquam occurrit. et quod potissimum est: Vergilius haec non ea de causa dicit, ut ridiculi aliquid carmini inserat, sed ut legi imitationis, qua tales quoque res commemorare iubetur, obsequatur. videmus enim postea magis et magis eum ad maiora transire taliaque plane omittere. quodsi quaerimus, quae vis nominibus et personis commemoratis apud Vergilium insit, longe aliam viam necesse est ingrediamur atque apud Theocritum. audimus in secunda ecloga magnum numerum nominum pastoralium: Thestylis Amaryllis Menalcas Daphnis Amyntas Damoetas Iollas. sed non audimus quae hae personae sint. unum modo scimus: eos pastores et puellas eiusdem condicionis esse. itaque dixerim vim horum nominum (praeter id, quod partim ad metum et suspicionem pueri suscitandam afferuntur) eam esse, ut cognoscamus (ut ita dicam) hic totam quasi civitatem bucolicam esse multosque pastores puellasque quasi in recessu esse, quorum non nisi praetereundo mentio fit.

Simile argumentum atque ecloga secunda prius carmen eclogae octavae habet. et hic et illic agitur de amore infelici pastoris. id solum interest, quod ille pastor, cuius partes Damon agit, nihil iam sperare se posse scit, cum Corydon adhuc carmine puerum amatum sibi conciliatum iri speret et in fine demum omni

spe desistat. itaque non mirabimur hic affectum multo vehementiorem exprimi. plane obliviscimur pastorem loqui. etiam heros Aeneidis verba tantae gravitatis proferre potest, qualia hic legimus (VIII 19/20):

Dum queror et divos, quamquam nil testibus illis
Profeci, extrema moriens tamen adloquor hora.

versui quoque:

Nec curare deum credis mortalia quemquam

dignitas inest, quae simplicitatem bucolicam valde supergreditur. re vera hic pastor mortem sibi consciturus est: cumulantur ad animi concitationem depingendam *ἀδύνατα*, cui figurae loquendi summa vis et sublimitas inest. ac notandum est hoc (si licet Graecanico verbo uti) *σχῆμα* apud Theocritum non inveniri nisi in morte Daphnidis describenda, re paululum mimum et humile genus loquendi excedente, ubi legimus (I 132 sq):

*Νῦν ἴα μὲν φορέοιτε βάτοι, φορέοιτε δ' ἄκανθαι,*
*ἁ δὲ καλὰ νάρκισσος ἐπ' ἀρκεύθοισι κομάσαι·*
*πάντα δ' ἔναλλα γένοιντο, καὶ ἁ πίτυς ὄχνας ἐνείκαι,*
*Δάφνις ἐπεὶ θνάσκει, καὶ τὰς κύνας ὥλαφος ἕλκοι,*
*κἠξ ὀρέων τοὶ σκῶπες ἀηδόσι δηρίσαιντο.*

haec ultima verba Daphnidis morientis sunt, quibus significatur morte huius pastoris naturam tanto luctu affectum iri, ut ordo consuetus funditus evertatur. iustum est Daphnin talia loqui, quippe qui animalia omnia, fera quoque, silvas totamque naturam adeo amaverit, ut dicere posset:

*ὦ λύκοι, ὦ θῶες, ὦ ἀν' ὤρεα φωλάδες ἄρκτοι,*
*χαίρεθ'· ὁ βουκόλος ὔμμιν ἐγὼ Δάφνις οὐκέτ' ἀν' ὕλαν,*
*οὐκέτ' ἀνὰ δρυμώς, οὐκ ἄλσεα. χαῖρ' Ἀρέθοισα*
*καὶ ποταμοί, τοὶ χεῖτε καλὸν κατὰ Θυμβρίδος ὕδωρ.*

(I 115—118). non igitur alienum est, sed e re ipsa sequitur morte talis hominis naturam quoque gravi maerore affici. aliter res apud Vergilium se habet: nam infelix amor pastoris cuiusdam non tanti momenti est, ut totus ordo naturae mutetur. *ἀδύνατα* igitur non aliam vim habent nisi quibus affectus hominis gravi desperatione afflicti et furori obnoxii illustretur. aucta et exaggerata Vergili videntur cum Theocriti carminibus comparata:

Iungentur iam grypes equis aevoque sequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula dammae.

(VIII 27/28).

haec non apud Theocritum inveniuntur, sed sumpta sunt e descriptionibus aetatis aureae. sed his non contentus postea denuo ad enumerationem rerum ordinem naturae offendentium redit (52—56):

Nunc et ovis ultro fugiat lupus, aurea durae
Mala ferant quercus, narcisso floreat alnus,
Pinguia corticibus sudent electra myricae,
Certent et cycnis ululae, sit Tityrus Orpheus,
Orpheus in silvis, inter delphinas Arion.

quibus in versibus, ut copia ἔκπληξιν procreet, non veretur res non modo apud Theocritum non occurrentes, sed omnino carmini bucolico alienas admiscere. nam praeter nomina Orpheos et Arionis, quibus sublimitatis carmen particeps fit[1], versus 54:

Pinguia corticibus sudent electra myricae

poetam doctum decet ad Heliadum fabulam alludentem. — alio quoque loco huius carminis verba Theocritea ita transfert, ut iis quam maxime πάθος et ὕψος attribuat. apud Theocritum legimus III 15:

νῦν ἔγνων τὸν Ἔρωτα· βαρὺς θεός· ἦρα λεαίνας
μαζὸν ἐθήλαζεν, δρυμῷ τέ νιν ἔτραφε μάτηρ.

simplici modo et pastorem decente Theocritus crudelitatem Amoris exprimit. Vergilius hos versus hic imitatur, sed multo elatior et sublimior est (43—45):

Nunc scio, quid sit Amor. duris in cotibus illum
Aut Tmaros aut Rhodope aut extremi Garamantes
Nec generis nostri puerum nec sanguinis edunt.

non contentus imitatione Theocriti Homeri versum arcessit, quo crudelitas Achillis significetur (Il. XVI 34 sq.):

γλαυκὴ δέ σε τίκτε θάλασσα
πέτραι τ' ἠλίβατοι, ὅτι τοι νόος ἐστὶν ἀπηνής.

ea quae Theocritus dicit, non excedunt regionem vitae rusticae; verbis 'duris in cotibus' memoria revocatur ad illos Homeri versus. nec satis habet poeta, sed addit versum totum repletum nominibus, quae alte sonent maiestatemque rei attribuant: fortasse ei in mente erat hic versus Theocriti VII 77:

ἢ Ἄθω ἢ Ῥοδόπαν ἢ Καύκασον ἐσχατόωντα.

amplitudo et Theocriti et Vergili versus propria est, imaginesque

1. cf. ea quae p. 37 de versu 24 ecl. II diximus.

regionum longe remotarum et horridarum suscitantur. verbis 'nec generis nostri puerum nec sanguinis edunt' quasi interpretatur ea, quae Homerus et Theocritus non ipsis verbis dicunt. huic versui neque commotio neque sublimitas per se inest; quin etiam dixerit quispiam eo adiecto violentiam et impetum totius loci paululum infringi. sed vis eius in copia verborum posita est; quod intellegi potest, si in universum ad compositionem duorum locorum collatorum respicimus. apud Theocritum invenimus quattuor *κῶλα* per duos versus dispertita; apud Vergilium una magna periodus per duos et dimidium versum extenditur. sed nondum contentus poeta versu intercalari interiecto pergit:

Saevos Amor docuit natorum sanguine matrem
Commaculare manus. crudelis tu quoque mater.
Crudelis mater magis an puer inprobus ille?
Inprobus ille puer; crudelis tu quoque mater.

quibus versibus adiectis depingitur singulis factis allatis crudelitas Amoris. eo, quod, quamvis breviter, tangit fabulam de Medea narratam, excedit paululum modum bucolici carminis. — iam nonnulla dicenda sunt de fine carminis a Damone cantati, de versibus 59/60:

Praeceps aerii specula de montis in undas
Deferar; extremum hoc munus morientis habeto.

diximus in superiore capite (p. 30) maiorem vim iis attribui, quod in fine carminis positi sunt. nam versus Theocriti, e quibus expressi sunt, leguntur in medio carmine (III 25—27):

*τὰν βαίταν ἀποδὺς ἐς κύματα τηνῶ ἁλεῦμαι,*
*ὧπερ τὼς θύννως σκοπιάζεται Ὄλπις ὁ γριπεὺς·*
*καἴ κα δὴ 'πογάνω — τό γε μὰν τεὸν ἁδὺ τέτυκται.*

apud Theocritum expressam imaginem et actionis et loci ante oculos habemus.[1] commemoratio vestimenti et piscatoris accomodata est pastori loquenti: summa simplicitas (quam Graeci *ἀφέλειαν* vocant) et artificiosa ethologia decent Theocritum.[2] contra Vergilius: imago expressa et accurata apud eum non in-

1. quomodo etiam sculptores et pictores illius aetatis piscatores effingere solebant.

2. cf. Cartault l. c. p. 311.

venitur, sed verba eligit, quibus non nisi gravis animi motus infeliciter amantis exprimatur. hic pastor non modo se in aqua demerget, sed praecipitem se in undas deiciet; elegetque locum quam altissimum: 'aerii specula de montis'. vocabulum 'specula' sine dubio recedit ad verbum Theocriti: σκοπιάζεσθαι; sed non poeta Graecus dicit illum piscatorem in alto monte sedere. sed si ad rem ipsam respicimus talis specula in promunturio sita est, a quo examina thynnorum appropinquantia facile observari possunt, alto monte ad hoc non opus est. sed quo modo res se habeat, ut illae speculae re vera in montibus sitae sint an non, ad rem ipsam nihil refert, quo modo Vergilius verba Theocriti interpretatus sit. magni autem momenti est, quod Vergilius ad locum illustrandum non nisi altitudinem eius eligit, cetera omnia omittit. grammaticos veteres si sequamur, dicere possimus Vergilium electione verborum sublimitatem petere.

Sed summum sublimitatis culmen, quantum intra res bucolicas fieri potuit, Vergilius quinta ecloga assecutus est, cui carmini tantam maiestatem veteres inesse putabant, ut ad ipsum Divum Iulium per allegoriam id referrent. qua in ecloga duo pastores, Menalcas et Mopsus, carmina proferunt inter se ita opposita, ut alter Daphnin mortuum cantet, alter pastorem illum in deorum numero collocatum grandiloquis et sanctis verbis celebret. atque argumentum posterioris carminis Menalcae attributi incertum est, utrum Vergilius alicunde hauserit an de suo protulerit. certe apud Theocritum nihil de Daphnide deo legimus, et, ut verba Servii Daphnin a Siculis deum coli affirmantis ex ipsius rei veritate fluxisse putemus, tamen nescimus, utrum Vergilio hoc notum fuerit necne. quoquo modo res se habet, hic quoque observari potest, poetam Romanum rem a Theocrito tractatam ita mutavisse, ut ei quam maxime sublimitatem impertiret. neque solum eo carmine, quo Daphnidis apotheosin celebrat, Theocritum valde supergressus est, sed etiam carmen Mopsi, quo Daphnis mortuus lugetur, valde a simplicitate Theocriti differt. quod carmen utpote e quo multum ad artem Vergili perspiciendam efficiatur, accuratius perlustrare mihi in animo est.

Incipit gravibus spondeis, quibus luctus pingatur (vv. 20—23):

Extinctum nymphae crudeli funere Daphnin
Flebant (vos coryli testes et flumina nymphis),
Cum complexa sui corpus miserabile nati
Atque deos atque astra vocat crudelia mater.

prima et gravis differentia in eo posita est, quod apud Vergilium Daphnis iam mortuus est, neque quicquam de obitu eius audimus, cum apud Theocritum accurate et fuse narretur, quae ante mortem eius acciderint. veniunt, ut eum consolentur, Mercurius pastores Priapus. sequitur Venus, quam Daphnis vehementi ira inflammatus graviter obiurgat; deinde salvere iubet animalia omnia totamque naturam, et postquam tibias suas Pani tradidit, moritur, neque quisquam deorum obitum eius morari potest. quae deinde facta sint, nullo verbo poeta Graecus commemorat. contra Vergilius initium capit, ubi Theocritus finierat. nihil de morte ipsa pastoris dicit, sed paucis periodis e verbis alte sonantibus artificiosissime confectis hominum et naturae luctum exprimere ei cordi est. accedunt alia, quibus Vergilius a Theocrito differt. nymphae enim apud Vergilium praesto sunt, cum Theocritus interroget (I 66 sqq.):

*πῆ ποκ' ἄρ ἦσθ', ὅκα Δάφνις ἐτάκετο, πῆ ποκα Νύμφαι;*
*ἢ κατὰ Πηνειῶ καλὰ τέμπεα; ἢ κατὰ Πίνδω;*
*οὐ γὰρ δὴ ποταμοῖο μέγαν ῥόον εἴχετ' Ἀνάπω,*
*οὐδ' Αἴτνας σκοπιάν, οὐδ' Ἄκιδος ἱερὸν ὕδωρ.*

quibus versibus haud scio an poeta significet nymphas propter fidem Echenaidi aut Xeneae fractam Daphnidi iratas fuisse,[1] fortasse Vergilius aliam fabulae conformationem secutus Theocritum quasi corrigere vult. haud scio an verbis 'vos coryli testes et flumina nymphis' tale aliquid subsit. sed cum ea, quae de hac re scimus, satis incerta sint, nihil hinc ad verba poetae explicanda effici potest. praeterea mater apud Vergilium adest, de qua Theocritus nihil dicit, neque constat, quis mater Daphnidis fuerit.[2] sed quantopere et matris et nympharum plangentium

---

1. cf. schol. Theocr. ad l.: *Δάφνις Σικελιώτης τυγχάνων καὶ ἐν Σικελίᾳ ἦν, ὅτε τὰ λοίσθια ἔπνεεν. ὅτι γοῦν Νύμφης ἤρα ὁ Δάφνις, ἡ δὲ Νύμφη ἀπεστρέφετο αὐτὸν διὰ τὴν πρὸς ἑτέρας γυναῖκας ὁμιλίαν, αἰνίσσεται, ὅτι οὐδὲ αἱ λοιπαὶ ἐν Σικελίᾳ ἦσαν, ὅτε ὁ Δάφνις ἔθνησκε.*

2. Fac poetam quempiam, de quo nihil nobis traditum esset, ante Vergilium de ea locutum esse: tamen hoc nihil ad demonstrationem nostram valeret.

praesentia affectus et gravitas augeantur, ipsi versus demonstrant. imprimis versibus:

Cum complexa sui corpus miserabile nati
Atque deos atque astra vocat crudelia mater

tantus luctus et tanta desperatio inest, ut memoria nostra ad locum Aeneidis revocetur, ubi agitur de luctu matris Euryali. verba quintae eclogae breviora sunt et quasi adumbratio posterioris loci videntur esse, sed affectus idem est. verba haec sunt (Aen. IX 475 sqq.):

at subitus miserae calor ossa reliquit,
Excussi manibus radii, revolutaque pensa.
Evolat infelix et femineo ululatu,
Scissa comam muros amens atque agmina cursu
Prima petit, non illa virum non illa pericli
Telorumque memor; caelum dehinc questibus implet.

verba ultima ‘caelum dehinc questibus implet’ et versus ‘atque deos atque astra vocat crudelia mater’ imaginem quasi eiusdem gestus in conspectu animi nostri ponunt. — sequuntur quinque versus, quibus luctus naturae exprimitur (24—28):

Non ulli pastos illis egere diebus
Frigida, Daphni, boves ad flumina; nulla neque amnem
Libavit quadrupes nec graminis attigit herbam.
Daphni, tuum Poenos etiam ingemuisse leones
Interitum montesque feri silvaeque locuntur.

animalia praeter leones non gemunt aut plorant, sed gravioris affectus indicia ne apud bestias quidem desunt: eodem modo quo homines vehementer commoti edere nolunt, hic animalia potum et pabula respuunt. qua in re exprimenda fortasse Theocritum secutus est, qui IV 14 de bovibus desiderio pastoris languentibus dicit:

ἦ μὰν δειλαῖαί γε καὶ οὐκέτι λῶντι νέμεσθαι.

sed quod res praecipue hominum propriae ad animalia deferuntur, poetis aevi posterioris mollioribus Theocrito adeo placuit, ut id crebrius adhiberent. itaque Vergilium non hunc Theocriti locum, sed poetas iuniores Theocrito ante oculos habuisse verisimile est, ut e. g. auctorem epitaphii Bionis aetate Sullae vigentem, apud quem v. 23/24 legimus:

*ὤρεα δ’ἐστὶν ἄφωνα, καὶ αἱ βόες αἱ ποτὶ ταύροις*
*πλαζόμεναι γοάοντι καὶ οὐκ ἐθέλοντι νέμεσθαι.*

quanto plus humani sensus animalibus attribuitur, tanto magis affectus augetur. — sequuntur ferae plangentes, quas e Theocriti Daphnide poeta sumpsit:

Daphni, tuum Poenos etiam ingemuisse leones
Interitum montesque feri silvaeque locuntur.

e numero ferarum a Theocrito allato eligit non nisi nobilissimum leonem, ceteras non commemorat. versus Theocriti hi sunt (I 71):

*τῆνον μὰν θῶες, τῆνον λύκοι ὠρύσαντο,*
*τῆνον χὠκ δρυμοῖο λέων ἔκλαυσε θανόντα.*

cum 'Poenos' Vergilius addit, fortasse sequitur scholiastam, qui ad versum Theocriti I 72 haec adnotat (Wendel p. 58): *τινὲς αἰτιῶνται τὸν Θεόκριτον καί φασιν ἐν Σικελίᾳ λέοντα μὴ εἶναι.*[1] Servius ad verba Vergili adnotat: 'hyperbolicos dicit'. et est res mirabilis bestias plangere, mirabilior montes et silvas vociferari, summum miraculum montes silvasque narrare, quantopere leones mortem Daphnidis ploraverint. sic artificiosissime rem per se grandem alia re grandi adiecta etiam auget poeta exaggeratque. — sequuntur versus, qui summam difficultatem omnibus viris doctis attulerunt (29—31):

Daphnis et Armenias curru subiungere tigris
Instituit, Daphnis thiasos inducere Bacchi
Et foliis lentas intexere mollibus hastas.

unum tenendum est: Vergilius Daphnin eo, quod rem tam sacram et grandem ei attribuit, in regionem altiorem et deis propiorem efferre vult. recte Heyne interpretatur: 'Haec et seqq. paulo abruptius posita simpliciter eo interpretanda sunt, ut ad augendas eius laudes et amplificandam dignitatem Daphnidem suum seu ipsius Bacchi laudibus impertiat, seu, quod censeo, eum unum ex Bacchi commilitonibus et sociis fuisse fingat, qui sacra Bacchi instituerit inter pastores, eoque caerimonias in Liberalibus sollemnes exhibuerit. quam convenienter haec de Daphnide pastore narrentur, non dicam'. iure ille vir doctissimus hic offendit: si ad fabulas de Daphnide narratas respicimus, hos versus intellegere non possumus. nam quod Ernestus Maass[2] e nostro loco concludere vult: honores antiquis temporibus Daphnidi deo habitos postea ad Dionysum translata esse, mihi facetius excogi-

1. cf. M. Goetz, De scholiastis Graecis poetar. Romanov. auctorib. quaest. sel. Diss. Jen. 1918 p. 23.

2. Orpheus p. 162.

tatum quam credibilius videtur esse; nam in solis poetae verbis, praesertim Romani, ubi alia testimonia plane desunt, in re tam gravi inniti, mihi quidem paulo audacius videtur esse. praeterea, ut concedamus hunc unum locum satis certum fundamentum praebere, tamen non intellegi potest, cur haec res tam rara et remota Vergilius solus neque quisquam ceterorum poetarum nobis tradat. sed ne Servii quidem interpretatio credibilis est affirmantis: 'Hoc aperte ad Caesarem pertinet, quem constat primum sacra Liberi patris transtulisse Romam'. sed etiam ante Caesarem Liber pater Romae colebatur. praeterea Wissowa[1] docet nusquam alibi de hac re quicquam tradi. itaque ne intellego quidem, cur hic vir doctissimus verba Servii non prorsus abiciat. quae omnia cum ad Vergili locum interpretandum nihil valeant, mihi quidem alia interpretationis ratio adhibenda videtur esse.

Iam supra dictum est Vergilium omni modo Daphnin e regione pastorali in altius efferre velle. nam qui deus futurus est, eius vitam oportet claram et splendidam esse, neque modo dignitate quadam, sed etiam facto aliquo glorioso. quod cum quaereret, Vergilio in mentem venit Orphei et rem de hoc narratam ad pastorem Siculum transtulit. Orpheum enim audimus mysteria Bacchi instituisse.[2] iam in Rheso tragoedia Euripidi attributa legimus 943:

*μυστηρίων τε τῶν ἀπὸῤῥήτων φανάς*
*ἔδειξεν Ὀρφεύς.*

et apud Aristophanem ran. 1032:

*Ὀρφεὺς μὲν γὰρ τελετὰς θ' ἡμῖν κατέδειξε φόνων τ' ἀπέχεσθαι.*

propius a Vergili aetate abest epigramma quoddam Damageti (Anth. Pal. VII 9), ubi legimus de Orpheo dictum:

*ὅς ποτε καὶ τελετὰς μυστήριδας εὕρετο Βάκχου.*

Vergilius fuse tribus versibus speciem pompae sollemnis Bacchicae nobis in conspectu animi ponit. Orphei praeterea mortem et mater et Musae plorant: iam non miraberis Vergilium matrem nymphasque plangentes inducere. paene supervacuum est huius rei testimonia afferre; sed offertur nobis aliud epigramma Antipatris Sidonii (Anth. Pal. VII 8), in quo v. 5/6 legimus:

*ὤλεο γάρ· σὲ δὲ πολλὰ κατωδύραντο θύγατρες*
*Μναμοσύνας, μάτηρ δ' ἔξοχα Καλλιόπα.*

1. Rel. u. Kult. d. Römer p. 303.
2. cf. etiam Lobeck, Aglaophamus p. 295.

de luctu Calliopae apud poetas iuniores Vergilio multa audimus; satis sit attulisse Stat. silv. II 7,36 sqq; V 3, 15 sqq. — fabulae autem de Orpheo narratae poetae nostro et omnino poetis Romanis tam praesto sunt, ut, ubicumque de cantu hominis alicuius laudes proferuntur, statim res ad Orphei cantum et lyram pertinentes immisceantur. sic initio octavae eclogae vim et dulcedinem cantus duorum pastorum paululum hyperbolicos tali modo praedicat Vergilius:

Pastorum musam Damonis et Alphesiboei,
Immemor herbarum quos est mirata iuvenca
Certantis, quorum stupefactae carmine lynces
Et mutata suos requierunt flumina cursus,
Damonis musam dicemus et Alphesiboei.

quod animalia cantum horum pastorum admirantur et flumina consistunt, ad Orpheum memoriam revocat. prooemium tam nobile frustra apud Theocritum quaeremus. apparet, quanta sublimitate his rebus carmen imbuatur. — simili modo Sileni cantum laudat VI 27:

Tum vero in numerum Faunosque ferasque videres
Ludere, tum rigidas motare cacumina quercus;
Nec tantum Phoebo gaudet Parnasia rupes,
Nec tantum Rhodope miratur et Ismarus Orphea.

in eadem ecloga v. 70/71 legimus de Hesiodi calamis, qui Cornelio Gallo a Musis traduntur:

quibus ille solebat
Cantando rigidas deducere montibus ornos.

his locis, cum res tam grandes immisceantur, dignitas quaedam impertitur. simili modo Ovidius in met. l. XIV 338 sqq. de Canente nympha dicit:

Rara quidem facie, sed rarior arte canendi,
Unde Canens dicta est: silvas et saxa movere
Et mulcere feras et flumina longa morari
Ore suo volucresque vagas retinere solebat.

talis fabularum confusio alibi quoque apud Vergilium occurrit. sic in ecloga quarta puerum illum quasi novum Dionysum celebrat[1]

1. cf. Marx N. J. 1898, p. 114.

et in Aeneide Catilinam novum Prometheum, Catonem novum Minoem vel Rhadamanthum reddit (VIII 666 seqq.):

hinc procul addit (Vulcanus)
Tartareas etiam sedes, alta ostia Ditis,
Et scelerum poenas, et te, Catilina, minaci
Pendentem scopulo Furiarumque ora trementem,
Secretosque pios: his dantem iura Catonem.

quae omnia cum intuemur, non incredibile videtur Vergilium ad Daphnin res e fabulis de Orpheo narratis sumptas transtulisse. neque adeo absurdum hoc est, cum Daphnis quoque cantu clarus sit et inventor carminis bucolici habeatur, non minus arte cum tota natura coniunctus quam Orpheus. sed eo, quod res fabulae notioris et nobilioris proprias illi pastori attribuit, ipsum Vergilius nobiliorem reddit. idem nobilitandi studium etiam in eis quae sequuntur animadvertimus. ac versus quidem 32—34:

Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvae,
Ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis,
Tu decus omne tuis

plane in regione pastorali versantur. sed qui sequuntur:

postquam te fata tulerunt,
Ipsa Pales agros atque ipse reliquit Apollo

sublimes et elati sunt memoriamque revocant ad versus Hesiodi (Op. et d. 197—199):

*καὶ τότε δὴ πρὸς Ὄλυμπον ἀπὸ χθονὸς εὐρυοδείης*
*λευκοῖσιν φάρεσσι καλυψαμένα χρόα καλὸν*
*ἀθανάτων μετὰ φῦλον ἴτον προλιπόντ᾽ ἀνθρώπους*
*Αἰδὼς καὶ Νέμεσις.*

finis quartae aetatis mundi his versibus significatur. ita etiam Daphnidis morte novum et peius — ut apud Hesiodum — saeculum surgit. nam Pales, dea pastoria, et Apollo Nomius terram relinquunt. itaque tota natura morbo quodam secreto capta inverso ordine e seminibus et radicibus pretiosis res viles et inutiles gignit:

Grandia saepe quibus mandavimus hordea sulcis,
Infelix lolium et steriles nascuntur avenae;
Pro molli viola, pro purpureo narcisso
Carduos et spinis surgit paliurus acutis.

quae apud Theocritum Daphnis optat, ut accidant, hic re vera

fiunt. tantae dignitatis hominem non mirabimur 'usque ad sidera notum' esse.

Carmen posterius Menalcae attributum, quo Daphnis ad caelum elatus sollemnibus verbis celebratur, quasi vescitur diversissimis rebus inter se tam mire et artificiose permixtis, ut unum corpus carminis fiat neque usquam inconcinnitas quaedam animadverti possit. haec quasi elementa carminis sunt: primum imitatio Theocriti, quem Vergilius hic multis locis secutus est; attamen rem longe a poeta Graeco diversam procreavit. secundum est, quod revocamur ad aetatem auream, qualem Vergilius ipse ecloga quarta et Georgicis illustravit. praeterea descriptionibus dierum festorum in honorem Daphnidis institutorum subest imago quaedam et memoria variarum sollemnitatum antiquitus apud rusticos Romanos actarum; has quoque Vergilius postea in Georgicis accuratius et fusius depinxit. pertinent quodammodo ad antiquas res Italiae, quas in Aeneidis posterioribus libris poeta celebravit: iam vides dignitate et severitate quadam carmen nostrum imbui simplicitatem Theocriti valde supergrediente.

Initio duobus versibus indicatur Daphnin ad caelum elatum esse (56/57):

Candidus insuetum miratur limen Olympi
Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.

hoc grandiloque dictum est et ita, ut totius mundi imago in conspectu animi nostri ponatur, cui rei summa sublimitas inest. revocamur ad Ciceronis Somnium Scipionis, ubi Scipio narrat: 'Ostendebat autem Karthaginem de excelso et pleno stellarum, illustri et claro quodam loco'. re vera Daphnis iam deus est, quod verbo 'candidus' indicatur. conferendi sunt etiam versus Aeneidis, quibus Iuppiter aut Apollo in mundum late patentem despicientes depinguntur: I 223; IX 638 (Apollo desuper Ausonias acies urbemque videbat, n u b e s e d e n s); X 3. iam eo quod ad versus Aeneidis vocamur, illustratur magnificentia et maiestas huius loci, quam μεγαλοπρέπειαν Graeci vocant. deinde describuntur laetitia et voluptas totius naturae. gaudent silvae et rura, Pan nymphae pastoresque. nec laetitiae satis habet natura, sed subito ad condicionem aetatis aureae reducitur. nam versibus:

Nec lupus insidias pecori nec retia cervis
Ulla dolum meditantur: amat bonus otia Daphnis

nihil aliud significatur, nisi aetatem auream et novum mundi saeculum laetius et melius venisse. illo enim beato saeculo bestiis nondum praedandi et rapiendi cupiditas inerat: cf. Verg. ecl. IV: 'nec magnos metuent armenta leones', et Georg. I 130, ubi dicit Iovem aetate aurea peracta lupos praedari iussisse. quae omnia ad exemplaria Graeca redire videntur.[1] nostro loco Theocritum secutus est. ille enim in carmine XXIV v. 86 sq., ubi Tiresias Alcmenae vaticinatur Herculem aliquando deum futurum esse et felicem aetatem tum toti mundo surrecturam, haec dicit:

*ἔσται δὴ τοῦτ' ἆμαρ, ὁπηνίκα νεβρὸν ἐν εὐνᾷ*
*καρχαρόδων σίνεσθαι ἰδὼν λύκος οὐκ ἐθελήσει.*

rem igitur de Hercule praedicatam Vergilius hic trahit in laudes Daphnidis. sequentia quoque:

Ipsi laetitia voces ad sidera iactant
Intonsi montes; ipsae iam carmina rupes,
Ipsa sonant arbusta: 'deus, deus ille, Menalca'

ad aetatem auream referenda sunt, cum idem fere iis significetur, quod apud Babrium in descriptione illius felicis saeculi legimus (I 6—11):

*ἐπὶ τῆς δὲ χρυσῆς* (sc. *γενεῆς*) *καὶ τὰ λοιπὰ τῶν ζῴων*
*φωνὴν ἔναρθρον εἶχε καὶ λόγους ᾔδει·*
*ἀγοραὶ δὲ τούτων ἦσαν ἐν μέσαις ὕλαις.*
*ἐλάλει δὲ πέτρα καὶ τὰ φύλλα τῆς πεύκης,*
*ἐλάλει δὲ πόντος, Βράγχε, νηὶ καὶ ναύτῃ,*
*στρουθοὶ δὲ συνετὰ πρὸς γεωργὸν ὡμίλουν.*

quantam granditatem verbum 'ipse' ter repetitum toti loco attribuat, vix dicere necesse est. verbo autem laetitiae revocamur ad multos locos carminum Graecorum sublimitate plenos, quibus de dei alicuius origine aut adventu agitur.[2] allocutio

1. cf. H. Lietzmann, Der Weltheiland. Bonn 1909. p. 42 sq.
2. Hom. N 29. — Hymn. III 61, 90, 137. — Theogn. 9/10. — Theocr. XVII 64. — Carm. Sib. VIII 474/475.

quoque illa: 'Deus, deus ille, Menalca' grandis est. similis est loci Lucreti V 8, ubi Epicurus sapientiae inventor sollemnibus verbis praedicatur: 'Deus ille fuit, deus, inclyte Memmi'. quod hic non citatur, ut loci inter se similes congerantur, sed ut intellegatur Vergilium hic tanta sublimitate uti, ut non distet a verbis omni granditate imbutis, quae apud poetas inveniri possunt.

Versibus 65—80 describuntur sacra in honorem Daphnidis dei instituta. multas res Vergilius hoc loco e Theocrito sumpsit; sed quamquam eas vix mutavit, tamen longe alio colore imbutae sunt. ac verba quidem:

en quattuor aras:
Ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phoebo

expressit e Theocr. XXVI 5:

ἐν καθαρῷ λειμῶνι κάμον δυοκαίδεκα βωμώς,
τὼς τρεῖς τᾷ Σεμέλᾳ, τὼς ἐννέα τῷ Διονύσῳ.

versus sequentes:

Pocula bina novo spumantia lacte quotannis
Craterasque duos statuam tibi pinguis olivi

sumpti sunt e Theocr. V 53, ubi Laco pastor describit, quam amoenus et iucundus locus sit, quem ad cantandum elegerit; ut iucunditatem plenam faciat, addit:

στασῶ δὲ κρατῆρα μέγαν λευκοῖο γάλακτος
ταῖς Νύμφαις, στασῶ δὲ καὶ ἁδέος ἄλλον ἐλαίω.

sequentia partim expressa sunt e Theocriti Thalysiis (VII 65):

τὸν πτελεατικὸν οἶνον ἀπὸ κρατῆρος ἀφυξῶ
πὰρ πυρὶ κεκλιμένος.

versus 72:

Cantabunt mihi Damoetas et Lyctius Aegon

recedit ad Theocriti verba (VII 71):

αὐλησεῦντι δέ μοι δύο ποιμένες, εἷς μὲν Ἀχαρνεύς,
εἷς δὲ Λυκωπείτας· ὁ δὲ Τίτυρος ἐγγύθεν ᾀσεῖ.

versus 71 exemplar habet Theocriti versum VII 153, ubi vinum nectar appellatur. sed has omnes res e diversis carminibus Theocriteis collatas Vergilius paucis adiectis ita in unum coniungit, ut toti carmini species summae dignitatis attribuatur. allocutio 'sis bonus o felixque tuis' sollemnis est: iisdem fere verbis Venus ab Aenea (Aen. I 330) invocatur: 'sis felix'. verba

quoque 'en quattuor aras' tantopere ad grande genus loquendi quadrant, ut etiam in Aeneide V 639 legantur. — versibus 67/68 verbo 'quotannis' adiecto magnam dignitatem attribuit.[1] ille enim Laco pastor Theocriteus superstitione rustica adductus, ut nymphas sibi conciliet et eas ad illum locum, quo cantetur, vocet, illa dona parat; libatio autem lactis et olei apud Vergilium Daphnidi oblata certo die unoquoque anno denuo fiet. qua re Daphnis elevatur in numerum eorum deorum, quibus constitutis et festis diebus sacra feruntur. et coniunguntur sacra ei oblata cum sacris Apollinis ipso versu iam allato:

en quattuor aras:

Ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phoebo.

sequentia quoque plena religionis et sollemnitatis sunt, quamquam recedunt ad exemplum Theocriti. hic enim describit in Thalysiis, quomodo Lycidas diem laetum, quo Ageanax Mytilenam advenerit, celebrabit: capite corona variis floribus nexa ornato propter focum sedens vinum bibet, dum duo pastores tibiis canunt et Tityrus Daphnin et Comatam cantat. haec Vergilius paululum mutavit; sed ita, ut memoria nostra revocetur ad dies festos, quales Romani re vera agere solebant. verbis enim 'multo Baccho hilarans convivia' suscitatur imago Saturnaliorum, quibus licebat supra solitum modum vino vesci et convivia summa lascivia et hilaritate celebrare. eodem modo dies festus Romanus adumbratur verbis (v. 75): 'et cum lustrabimus agros', quae interpretes iure ad Ambarvalia referunt. etiam quae antecedunt verbis: 'et cum sollemnia vota reddemus nymphis' eadem dignitas atque ceteris inest. nam in urbe omnium religiosissima ne nymphis quidem templa deerant, et ex eo praesertim tempore, quo fontana illa numina ut Carmentis Egeria Iuturna nymphis Graecorum adaequabantur,[2] cultum earum, quippe qui ad antiquissima tempora recedere videretur, non minus sanctum atque ipsas non minus venerandas putabant homines quam ceteros deos deasque omnes.

Quicumque perspexit, quanta dignitate e rebus Romanis tracta poeta Romanus hos versus perfuderit, eum non fugiet hic quasi praesumi ea, quae poeta in Georgicis pluribus verbis illustrat. sic versus:

Saltantis satyros imitabitur Alphesiboeus

1. Grande sonat etiam verbum quod est „spumantia".
2. cf. Roscher, Myth. Lex. III 540 sq.

(cui nil comparabile apud Theocritum invenitur) affert nobis memoriam diei festi Cereri instituti, qualem Vergilius describit Georg. I 350:

neque ante
Falcem maturis quisquam supponat aristis,
Quam Cereris torta redimitus tempora quercu
Det motus incompositos et carmina dicat.

quod satyros commemorat, ludos scenicos designat in Attica ab agricolis Baccho actos, a quibus origo tragoediae ducebatur. de quibus poeta loquitur Georg. II 380 sqq. addit etiam gentes Italicas simili modo Baccho dies festos agere (385 sqq.):

Nec non Ausonii, Troia gens missa, coloni
Versibus incomptis ludunt risuque soluto;
Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis:
Et te, Bacche, vocant per carmina laeta.....

hic Liberalia et Vinalia rustica poetae in mente sunt.

Haec autem omnia quodammodo coniuncta sunt cum imagine aetatis aureae. vita enim agricolarum felix et laeta habetur; quae cum eadem fere sit, quam omnes gentes rudes et incultae et 'veteres Sabini' agunt, vita et mores rusticorum non multum abesse videntur a vita et moribus hominum, qui aetate aurea, aut, cum Romani *Κρόνον* et Saturnum eundem deum putaverint,[1] Saturno regnante floruerunt. Vergilius ipse, ubi mentionem facit beatitudinis vitae rusticae, semper immiscet res e descriptionibus aetatis aureae sumptas. quod apparet e versibus in extremo libro secundo Georgicorum positis, quibus fortunam agricolarum praedicat:

quibus ipsa procul discordibus armis
Fundit humo facilem victum iustissima tellus.

haec multum coloris aetatis aureae in se habent. verbum 'ipsa' revocat memoriam ad locum Hesiodi (op. et dies 117):

*καρπὸν δ' ἔφερεν ζείδωρος ἄρουρα*
*αὐτομάτη πολλόν τε καὶ ἄφθονον.*

cf. etiam ecl. IV 18; georg. I 127, II 500, Ov. met. I 101. ad Arati descriptionem aetatis aureae (Phaen. 100 sqq.) revocamur versibus 473/474:

extrema per illos

---

1. Opinio e Livi Andronici temporibus vulgata.

Iustitia excedens terris vestigia fecit.

etiam verbis (v. 501):

nec ferrea iura
Insanumque forum aut populi tabularia vidit

quamquam hic non duae aetates inter se opponuntur, sed placida et quieta vita agricolae et turbida commotaque viri in urbe degentis, inest aliquid, quod semper de aurea aetate praedicatur: cf. Lucr. V 958; Verg. Aen. II 203; Ov. met. I 90. perinde versu:

Sollicitant alii remis freta caeca

et deinde versibus:

Exilioque domos et dulcia limina mutant
Atque alio patriam quaerunt sub sole iacentem

monemur aetate aurea nondum navigationem fuisse: cf. Arat. 110:

χαλεπὴ δ' ἀπέκειτο θάλασσα
καὶ βίον οὔπω νῆες ἀπόπροθεν ἠγίνεσκον.

cf. etiam Verg. ecl. IV 31; georg. I 130 et 136; Ov. met. I 123—132; am. III 8,45.

Simili modo Vergilius laudibus Italiae quae vocantur (georg. II. 136—176) immiscet res ad aetatem auream pertinentes[1]:

Sed gravidae fruges et Bacchi Massicus umor
Implevere: tenent oleae armentaque laeta.

ad verbum 'implevere' notandum est poetam nihil de labore rustici dicere, quasi 'ipsa' (αὐτομάτη) terra omnia procreet. versus autem 151/4 eodem modo ad illam aetatem felicem referri possunt:

At rabidae tigres absunt et saeva leonum
Semina; nec miseros fallunt aconita legentis;
Nec rapit immensos orbis per humum, neque tanto
Squameus in spiram tractu se colligit anguis.

etiam versui 149:

Hic ver adsiduum atque alienis mensibus aestas

res inest de aureo saeculo praedicata: cf. Ov. met. I 107:

---

1. cf. de laudibus Italiae et Romae quae disputaverunt J. Geffcken, Saturnia tellus, Hermes 27 (1892), p. 381 sqq. — W. Gernentz, Laudes Romae Diss. Rost. 1918. — S. Bauck, De laudibus Italiae Diss. Königsb. 1919.

Ver erat aeternum, placidique tepentibus auris
Mulcebant zephyri natos sine semine flores.

In illa de qua antea disseruimus praedicatione vitae rusticae poeta etiam de diebus festis ab agricolis celebratis loquitur (527 sqq.):

Ipse dies agitat festos fususque per herbam,
Ignis ubi in medio, et socii cratera coronant,
Te libans, Lenaee, vocat.

quae descriptio non multum differt a versibus quintae eclogae:

Et multo in primis hilarans convivia Baccho
Ante focum, si frigus erit, si messis, in umbra
Vina novom fundam calathis Ariusia nectar.

pergit autem Vergilius illo Georgicorum loco:

Hanc olim veteres vitam coluere Sabini,
Hanc Remus et frater, sic fortis Etruria crevit,
Scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma
Septemque una sibi muro circumdedit arces.

his versibus refertur felix illa condicio ad veteres Italiae gentes; sed deinde legimus:

Ante etiam sceptrum Dictaei regis et ante
Impia quam caesis gens est epulata iuvencis
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat;
Necdum etiam audierant inflari classica, necdum
Impositos duris crepitare incudibus enses.

quae cum legimus et recordamur Daphnide ad caelum elato novum mundi saeculum surgere, iure sacra quoque et dies festos rusticos in honorem eius institutos ad feliciorem hominum condicionem ipsamque aetatem auream referemus. neque absurdum est iam hic aliquid exspectationis hominum temporum Vergili immisceri. obversantur hic poetae iam eaedem res, quas postea Georgicis celebraturus erat, paulo maiores quam bucolicae et magis Romanae, cum ad agriculturam pertineant. dignitas autem et severitas huius loci talis est, ut poeta totum versum:

Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt

in Aeneide repetere potuerit (I 609).

Hinc via patet etiam ad eclogam quartam omnium celeberrimam et difficillimam. quo de carmine quaestionem propo-

nentibus nobis incidit liber Nordeni[1] incomparabili doctrina exaratus, quo multa adhuc aut plane ignota aut non satis nota ad carmen explicandum afferuntur rationeque severa adhibita multis locis adhuc satis obscuris quasi nova lux infunditur. sed cum taedeat nos repetere quae ille optime demonstravit, liceat pauca addere ab illo, cum a libro aliena viderentur, aut omissa aut non satis praedicata. non enim proposuimus nobis inquirere, quibus de fontibus Vergilius hauserit, sed artem eius illustrare. qui finis etiam hic nobis ante oculos esto.

Ecloga quarta quasi intra duos terminos inclusa est. Ab altera parte stant obscura illa carmina e partibus orientalibus in orbem terrarum occidentalium devoluta, plena imaginum sublimium et cogitationum superstitionis caecae atque artis barbarae, ab altera parte carmina Theocriti et aequalium eius multa arte expolita, sublimitatem ubicumque detrectantia et ad res nimis humanas libenter descendentia. E talibus elementis in animo poetae confluentibus quomodo carmen, quod unum et praestantissimum esset, effectum sit, breviter significemus magis quam explicemus.

Ecloga quarta, quamvis sublime et grande argumentum complecti et a Theocriti simplicitate recedere videatur, tamen carmen bucolicum est: nam etsi magnae res et maiores quam antea canuntur, tamen is qui canit, pastor est aut certe pastoris partes agit.[2] invocat Musas Sicelidas: qua ipsa re significatur hoc carmen a ceteris hoc libro inclusis separari non posse.[3] nam solum pastorales res canentibus hae Musae adsunt. quae autem sequuntur verba in hunc fere modum videntur esse explicanda: iam ad sublimiora accedendum est, cum non desint qui mihi crimini dent, quod tam diu in rebus humilibus et tenuibus morer, quamquam et tempus et vires meae maiora carminum argumenta poscant. sed animum induxi in rebus bucolicis tractandis perseverare: attamen, cum carmen consuli dedicandum sit, ita conformetur, ut

---

1. Eduard Norden, Die Geburt des Kindes. Leipzig 1924.
2. Quomodo Vergilius se ipse depingit in extremo carmine decimo.
3. Etsi Marx l. c. p. 111 inter se opponit arbusta myricasque (*χαμαίζηλα φυτά*) et silvas (*δένδρεα ὑψιπέτηλα*): fugit enim eum vocabulo silvae aut silvarum carmina bucolica significari. cf. ecl. I 2, II 62, VI 2 et alios locos.

consule dignum efficiatur. sic — similiter atque in sexta ecloga, etsi multo brevius — poeta excusationem facit. quod autem nobis hic maximi momenti est: expressis verbis dicit perseverare se velle in carminibus bucolicis condendis.

Sane ecloga quarta plus quam ceterae sublimitate imbuta est, et praecipue versus 50—52:

Aspice convexo nutantem pondere mundum
Terrasque tractusque maris caelumque profundum,
Aspice venturo laetentur ut omnia saeclo

tam grandes sunt, ut longe ab omni ratione carminis bucolici recedere videantur.[1] Sed pergit poeta, quasi nimium ardorem horum versuum temperare velit, verbis suavissimis, quibus legentium animos ad res Graecas et bucolicas revocat[2] (53—59):

O mihi tum longae maneat pars ultima vitae
Spiritus et quantum sat erit tua dicere facta:
Non me carminibus vincat nec Thracius Orpheus
Nec Linus, huic mater quamvis atque huic pater adsit:
Orphei Calliopea, Lino formonsus Apollo.
Pan etiam Arcadia mecum si iudice certet,
Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum.

Orpheo iam antea occurrimus vidimusque ei quodammodo locum esse intra res bucolicas, Apollo deus pastoricius est, cum autem Pana commemoret Arcadiamque, non iam dubitari potest, quin consulto Vergilius hic nomina bucolica congerat. praeterea versus:

Pan etiam Arcadia mecum si iudice certet
Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum.

et ipsa re, quae iis continetur — Pana enim ad certamen musicum quasi provocat — et verbis: 'Pan etiam Arcadia' et 'iudice' repetitis iisdem versuum locis colorem bucolicum prae se ferunt.

Quod sic ex singulorum locorum interpretatione conclusimus, per totum carmen confirmatur. praecipue tres illi quasi gradus mutationis mundi et pueri aetates bucolicis coloribus depinguntur. cum in carmine Sibyllino III — huiusmodi carmen, etsi non ip-

---

1. Sed recordemur versuum 56/57 eclogae quintae, de quibus supra locuti sumus.
2. cf. Boll DLZ 1924 Sp. 777.

sum, Vergilio ante oculos fuit[1] — plena mundi et orbis terrarum felicitas eo demum tempore incipit, quo rex ille qui expectatur omnes adversarios vicit,[2] apud Vergilium iam puero modo nato mundi et terrae facies in melius convertitur:

At tibi prima puer nullo munuscula cultu
Errantis hederas passim cum baccare tellus
Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.
Ipsae lacte domum referent distenta capellae
Ubera nec magnos metuent armenta leones.
Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.
Occidet et serpens et fallax herba veneni
Occidet: Assyrium volgo nascetur amomum.

Vergilio non multae rationes rerum conformandarum praesto sunt: omnia ad exemplum earum rerum fingit, quas semel amore et religione complexus est. undecumque puer ille salutifer ad Vergilium pervenerit, sive ad Aegyptum recedat, sive ad cogitationes populorum etiam remotiorum, apud poetam Romanum quasi novus Bacchus fit, cui terra sponte et ultro dona sua copia effundit uberrima.[3] ea, quae Baccho nato fiunt, similia sunt aureae aetatis,[4] ac supra vidimus Vergilio aureae aetatis imaginem in rebus bucolicis cantandis ante oculos esse: quodsi hic ea quae post natum puerum fiunt ad Bacchum referimus, ea ipsa re carmen reddimus bucolicum. et quod in secunda aetate describenda dicit poeta:

Incultisque rubens pendebit sentibus uva

(v. 29) (quae scilicet res nusquam alibi in aurea aetate describenda occurrit), confirmatur, quod supra diximus: Vergili puerum quasi novum esse Bacchum. omittamus omnia, quae iure huc referri possent, et properemus ad finem illius trium graduum descriptionis. imaginem hic invenimus bucolicam et suavissimam:

Nec varios discet mentiri lana colores,
Ipse sed in pratis aries iam suave rubenti
Murice iam croceo mutabit vellera luto.
Sponte sua sandyx pascentis vestiet agnos. (42—45)

---

1. cf. Norden l. c. p. 146 sq.
2. cf. Carm. Sib. III 744 sqq.
3. cf. Marx l. c. p. 114, ubi afferuntur loci comparandi Eur. Phoen. 649 sqq. et Dionys. Perieget. 935. addendus est locus Philostr. mai. imag. edd. Benndorf-Schenkl p. 30, 17 sqq.
4. cf. Usener, Kl. Schr. IV p. 398.

Gregem ergo videmus lana purpurea vestitum. Non casu factum videtur esse, ut summa et ultima felicitas, quam tertia aetas aureae simillima fert, hac imagine expressis coloribus picta adumbraretur: quae imago absurda videri posset, nisi reminisceremur poetam id agere, ut bucolicum conderet carmen.[1] Vergilius ea praecipue praedicat, quae ad simplicem vitam pastorum et agricolarum meliorem reddendam pertinent.

Etiam e verborum collocatione origo bucolica huius carminis apparet. supra totam eclogam extenta est quasi textura verborum invicem respondentium aut in eundem sonum cadentium (quod iam in versibus 58/59 animadvertimus). sic similiter conformati sunt versus 21—23 exeuntes:

-referent distenta capellae
-metuent armenta leones
-fundent cunabula flores.

aequali modo versibus 28—30 et 43—45 concinnitate quadam inter se coniunctis sonus bucolicus subest.

Qualescumque res Vergilius e carmine Sibyllino obscuro et barbaro sumpserit, semper eas ita conformavit, ut iis iure locus esset in carmine Romano neque intellegi posset — nisi ipse Cumaeum carmen commemoraret —, unde sumptae essent. omnia dilucida fecit imaginibus ad morem Graecorum et Romanorum fictis. ut tres illos gradus temporis illustraret, usus est nominibus et imaginibus e fabulis Graecis tractis: ut ipsam navigationem significaret, legentium animos ad Argonautas revocavit: Argo enim prima navis fuit, et quae fabulae de Argonautis narrabantur, Vergili aequalibus notissimae erant, cum illo ipso tempore Varro Atacinus Apollonii Argonautica in Latinum sermonem vertisset. et ut bella illustraret, adulescentem omnium bellicosissimum dicit: Achillem, et urbem, quae maximum omnium bellum vidit: Troiam. sed celeriter hae imagines tristes transeunt: summa carminis posita est in felicitate bucolica describenda. cognoscimus ergo Vergilium illam trium graduum cogitationem e carmine Sibyllino sumere, sed ita conformare, ut non nisi suavia ac mollia pluribus

1. Facile fieri potuit, ut Vergilius hanc rem e disciplina Etrusca sumeret: cf. Macrobius Sat. III 7, 1 (Thulin, Etr. Disc. III p. 76). sed hinc quoque apparet, quod demonstraturi sumus: Vergilium sublimia reddere bucolica, bucolica sublimia.

verbis illustret, cetera omnia leviter stringat. quod illic severum et sublime est, hic ad eum sublimitatis modum reducitur, qui in carmine bucolico ferri potest, aut si eandem rem aliis verbis illustramus: Vergilius res sublimes pastorali more canit.

Attamen dicere non possumus hanc rem esse bucolicam, illam sublimiorem, sed poeta ambo adeo in unum confudit, ut nobis indagandum sit, quo recedat haec confusio, non autem singula sint separanda et separatim excutienda. bucolicae res ei sublimes sunt, cum transferantur ad tempora praeterita et ut ita dicam divina. sublimes autem res bucolicae fiunt, cum sub specie carminis bucolici eas contempletur. divinis humana, humanis divina admiscentur: non refert, quae inter se misceantur, sed quomodo.

Sic Vergilius neque nimis in altum, neque ad nimis humiles res procedit: semper sublimia temperat, quomodo demonstrare conati sumus: solo verbo 'tuus' ad nomen Apollinis addito rem divinam paululum inflectit et quodammodo ad res humanas reducit. neque umquam ad nimis humana descendit ut poetae Graeci aetatis Alexandrinae. apud Callimachum habemus descriptionem nascentis dei: Juppiter a Rhea nascitur.[1] argumentum sane sublime est, sed studet poeta res humiles admiscere: depingit, quomodo puer lavetur, Corybantes eum amplectantur, in cunis collocetur, ad ubera Amaltheae caprae admittatur. Vergilius in fine demum carminis imaginem ut ita dicam humanam ponit:

Incipe parve puer risu cognoscere matrem:
Matri longa decem tulerunt fastidia menses.
Incipe parve puer: cui non risere parentes,
Nec deus hunc mensa dea nec dignata cubili est.

sed si meminerimus, quanta pietate illi pueri, qui ut Horus religione colebantur, foverentur,[2] cognoscemus hos versus non tam ludibundos esse, quam amorem et teneritatem pietate et religione mixtam poetae prae se ferre. Callimachus non veretur in re divina humana tangere: Vergilius quasi orans puerum sollemnibus verbis alloquitur. quanta sublimitas etiam his versibus insit, demonstratur verbis: 'Incipe parve puer' sollemniter repetitis.

---

1. Hymn. I.
2. cf. Norden l. c. p. 112.

## III

His singulis perspectis si in universum quaestionem proponimus, quae differentia inter Vergili et Theocriti carmina intercedat, magni momenti est cognoscere, quibus de causis et hic et ille ad bucolica potissimum carmina condenda se converterit. Graecus enim eo tempore florebat, cum poetae sublimitatis Homeri et tragoediarum pertaesi aut tantam magnitudinem assequi se posse desperantes ad inferiora et humiliora carminum argumenta descendebant et summa delectatio iis in rebus mediocribus et minutis accurate depingendis posita esse videbatur. itaque fabulas veteres talibus rebus ornabant et eadem de causa pastorum quoque vitae et moribus describendis operam studiumque navabant non modo poetae, sed etiam sculptores et pictores illius aetatis. huius novi poesis generis praeter alios Theocritus potissimus auctor est. illius quoque pugnae hic erat particeps coortae inter eos, qui Homerum veteresque poetas imitabantur et eos, qui nova argumenta novo genere dicendi tractabant. quorum in numero (a grammaticis νεώτεροι appellantur) Theocritus ipse est. quod apparet e versibus eius VII 45/48:

ὥς μοι καὶ τέκτων μέγ' ἀπέχθεται, ὅστις ἐρευνῇ
ἴσον ὄρευς κορυφᾷ τελέσαι δόμον Ὠρομέδοντος,
καὶ Μοισᾶν ὄρνιχες, ὅσοι ποτὶ Χῖον ἀοιδ'ν
ἀντία κοκκύζοντες ἐτώσια μοχθίζοντι.

quibus idem fere dicit, quod Callimachus epigrammate illo notissimo exprimit:

Ἐχθαίρω τὸ ποίημα τὸ κυκλικόν.

Longe diversa erat Vergili condicio. educatus erat in sinu poetarum, quos νεωτέρους appellare consuevimus, quibus potissimum studium in imitatione poetarum Graecorum illius de quo locuti sumus aevi positum erat. sumpserant morem scribendi a poetis Graecis, et ut illi carmina epica et granditatem veterum respuebant, hi non nisi poematia et epyllia adamabant. quorum in numero Vergilius quoque habendus est, si ad carmina eius ante eclogas scripta respicimus, et id quoque, quod Theocritum imitatur, neotericum iure habetur. sed temporibus Vergili poetae neoterici iam diu vigebant et eorum carmina in omnium manibus erant, ita ut noniam novi, sed iam usitati essent. itaque Vergilius

more neoterico carmina condidit, non quia aliam poesis rationem veteresque poetas contemnebat, sed quia omnes illius aetatis poetae tali modo scribendi utebantur. qua de causa mirum non est Vergili Bucolica duas species diversas praebere: nam et neoterica sunt, cum poetam Graecum imitetur, cum versibus poliendis multum operae det, cum fabulas remotas, quales neoterici amabant, commemoret, et novi aliquid in se habent neotericosque supergrediuntur: multum Romanae dignitatis iis admixtum est, sermo purus est, cum poeta verba Graecanica et longas periodos vitet, desunt descriptiones accurate et anxie perfectae, quales neotericorum propriae sunt. elegantiae et doctrinae neotericorum poeta noster severitatem dignitatem granditatem substituit omnibus locis, quibus liberiore gressu incedit.

Accedit alia quoque res. tempore enim Vergili poetae aevi Ptolemaeorum in numero eorum poetarum Graecorum haberi coeperunt, quibus posteritas nomen classicorum imputavit. illis temporibus ad genera nota poesis epicum lyricum tragicum accessit quasi genus bucolicum neque minoris pretii erat quam illa. itaque omnes poetae Graeci aequo modo imitatione digni videbantur, et quamvis magnae differentiae inter vetustiores et iuniores intercederent, hi non minore auctoritate utebantur quam illi, ita ut etiam res a iunioribus tractatae idem fere valerent ac fabulae et res gestae ab Homero ceterisque poetis Graecis celebratae. Theocritus pastores sui temporis carminibus depinxerat: apud Vergilium relegantur ad tempora fabulosa et aureae aetatis propiora. nam quo modo fabulae ab Homero ceterisque tractatae antiquissimis temporibus assignabantur, eodem quasi aetatem bucolicam olim fuisse Vergilius animo fingebat, neque solum aetatem, sed quodammodo res bucolicae ordinem in se conclusum effingunt. quem Theocritus semel procreavit neque quicquam bucolicum est, quod non ad illum recedat. cui ordini sese Vergilius inseruit et quasi novum aedificium in regione bucolica a Theocrito inventa erexit. itaque, ubicumque nomen aliquod pastoris aut occupationem rusticam commemorat, hoc non modo per se valet, sed eam quoque vim habet, ut imago illius regionis pastoralis e Theocriti carminibus notae ante oculos legentium suscitetur. quamquam nonnumquam ad res sua aetate actas poeta alludit, tamen pastores, quos loquentes inducit, non Romani sunt. nec Tityrus nec Meliboeus nec Lycidas nec Moeris pastores aut rustici

Italiae sunt, sed non nisi in regione bucolica quaerendi sunt. Vergilius, si ita dicere licet, non mores vitamque pastorum describere et hac re delectationem petere, sed bucolica carmina condere vult.

Differentia duorum poetarum in eo quoque posita est, quod Vergili eclogarum liber unus et in se conclusus est, cum corpus carminum Theocriteorum varium sit et e membris inter se diversissimis constet. Vergilio ante oculos erant eadem fere carmina Theocriti eodem ordine, quae nos legimus; initio libri posita erant carmina bucolica, utpote quae Theocrito summam laudem attulerant; a quibus totus liber nomen traxit bucolicorum.[1] sed praeter pastoralia cetera quoque carmina Theocriti hoc libro continebantur, quae minime bucolica dici poterant. accedunt etiam carmina non a Theocrito, sed ab imitatoribus eius scripta. neque id, quod mimi sunt, omnibus carminibus commune est. aliter hoc apud Vergilium se habet. ipse totum librum edidit carminibus eo ordine collocatis, quo nos ea habemus. quam artificiose ea collocavarit, non semel viri docti demonstrare conati sunt. sed maioris momenti videtur esse, quod totum librum etiam eiusdem coloris esse voluit. ipse in extremo libro quarto Georgicorum, ubi de carminibus suis bucolicis loquitur, affert primum versum primae eclogae, quippe quo totus eclogarum liber significetur (IV 565/6):

Carmina qui lusi pastorum audaxque iuventa
Tityre, te patulae cecini sub tegmine fagi.

et decimum carmen se ipsum ultimum totius libri esse indicat versu:

Extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem.

praeterea autem conclusio huius eclogae ita conformata est, ut ad totum librum referenda sit. sed haec testimonia extrinsecus petita sunt. si ad carmina ipsa respicimus, videmus omnium colorem unum proprium esse, etiam eorum, quibus res paululum a carmine bucolico aliena tractantur. pastoris personam induit Vergilius, ut Octaviano gratias agat, pastores loquuntur de agrorum distributione et miseria belli civilis. vidimus ne quartam quidem eclo-

---

1. cf. Wil. Textg. d. gr. Buk. p. 110.

gam fines carminis bucolici excedere. sexta continentur quidem multa, quae non bucolica sunt, ut illa, quae de mundi origine a Sileno proferuntur. sed certe non casu factum est, ut fabulae de Pasiphaë narratae plus spatii attribueretur quam ceteris, utpote quae optime ad carmen bucolicum quadraret. omnia autem, quae hac ecloga continentur, inclusa sunt rebus bucolicis: Chromis et Mnasyllus pastores sunt, qui, dum greges pascunt, Silenum in antro, loco eximie bucolico, dormientem inveniunt et vinciunt, quo modo Menelaus aut Aristaeus Protea, sed ludibunde sertis, non manicis aut laqueo. haec quoque res, ut multa alia, quae in eclogis leguntur, referenda videtur esse ad praeteritum et feliciorem mundi statum. bucolici coloris aliquid carmini impertire poeta et ineunte et exeunte carmine studet. cum enim carmen stili altioris recusat, se ipse pastorem esse fingit et promittit:

Agrestem tenui meditabor harundine musam.

quo versu revocamur ad primae eclogae initium:

Silvestrem tenui musam meditaris avena.

in fine autem operatio pastoricia ovium cogendarum et numerandarum commemoratur. — posterius carmen octavae eclogae Alphesiboeo attributum expressit Vergilius e mimo non bucolico Theocriti. fortasse hinc causa repetenda est, cur Vergilius hunc mimum carmini bucolico inseruerit; nolebat rem plane alienam inter bucolicas miscere, sed cum argumentum carminis, quod mirum non est, ei valde placeret, et hic mimus sine dubio in clarissimis omnium Theocriti carminum haberetur,[1] omittere nolebat. providebat, ut carminibus bucolicis accommodaretur: hac fortasse de causa Delphidi nomen Daphnidis substituit. praeterea autem totam rem rus transtulit, cum Daphnis 'ab urbe' veniat. plurimum bucolici coloris inest comparationi rusticae, quam legimus 85—89:

Talis amor Daphnim, qualis cum fessa iuvencum
Per nemora atque altos quaerendo bocula lucos
Propter aquae rivom viridi procumbit in ulva
Perdita, nec serae meminit decedere nocti:
Talis amor teneat, nec sit mihi cura mederi.

qui versus expressi sunt in universum e loco Theocriti II 48—51:

---

1. Catullus quoque eo usus videtur esse: cf. Plin. N. H. 28, 19.

*ἱππομανὲς φυτόν ἐστι παρ' Ἀρκάσι, τῷ δ' ἐπὶ πᾶσαι*
*καὶ πῶλοι μαίνονται ἀν' ὤρεα καὶ θοαὶ ἵπποι.*
*ὣς καὶ Δέλφιν ἴδοιμι, καὶ ἐς τόδε δῶμα περάσαι*
*μαινομένῳ ἴκελος λιπαρᾶς ἔκτοσθε παλαίστρας.*

ea, qua Theocritus utitur, comparatio, non bucolica est: consulto ei Vergilius aliam substituit.[1] hinc iam elucet splendor Georgicorum (cf. III 216). — in decima autem ecloga libere et paululum ludibunde rebus bucolicis utitur: transfert ad Gallum dolores Daphnidis. veniam petit, quod Gallum, poetam scilicet elegiacum et urbanissimum, inter oves et pastores collocat:

Nec te paeniteat pecoris, divine poeta:
Et formonsus ovis ad flumina pavit Adonis.

multa in hoc carmine occurrunt, quibus memoria ad priores eclogas revocetur. quodsi ad conclusionem respicimus, multo amplior et plenior est quam in ceteris eclogis. moris poetarum et Graecorum et Romanorum illius aetatis est, se ipsum ultimo libri carmine legentibus ostentare. sic Propertius ultimo libri primi carmine genus suum indicat, Vergilius in fine Georgicorum etiam nomen suum profert. paululum alia, sed simili ratione hic usus est: non se nominat, sed sub pastoris persona se significat:

Haec sat erit, divae, vestrum cecinisse poetam,
Dum sedet et gracili fiscellam texit hibisco,
Pierides.

scilicet, qui per totum librum pastorem se praestitit et ipso libro pastor factus est, hic ultimum legentibus se offert. — etiam versus:

Surgamus: solet esse gravis cantantibus umbra,
Iuniperi gravis umbra, nocent et frugibus umbrae.
Ite domum saturae, venit Hesperus, ite capellae

ampliores sunt, quam verba, quibus ceterae eclogae clauduntur. verba 'surgamus' et 'ite' repetita tantam vim habent, ut non absurdum videatur ea ad totius libri conclusionem referre.

Videmus igitur Vergilium id spectavisse, ut omnia carmina libri eclogarum unius coloris et quodammodo, quamvis diversa argumenta continerent, inter se similia essent. neque casu hoc factum esse cognovimus, sed consulto poetam etiam rebus per se a carmine bucolico alienis notam quandam impressisse, qua

---

1. cf. Klotz N. J. 1920 p. 153.

efficeretur, ut cum eo, quem poeta libro suo attribuere volebat, colore, congruerent. res mirabilis: nam hac re neque Theocritum ipsum neque alium quemquam poetam imitatus est. editionem enim Theocriti, quae Vergilio in manibus erat, variam fuisse et carmina diversorum generum continuisse supra vidimus. sed ne alius quidem poeta hic Vergilio exemplo videtur fuisse. immo omnes libri, quibus poemata et poematia poetarum illorum temporum continentur, ea ipsa re insignes sunt, quod carmina differentia et genere et colore et magnitudine artificiosa saepe collocatione adhibita[1] ita continuantur, ut legentes varietate delectentur. quomodo magna carmina iis odio erant, eodem modo reformidabant similitudine argumentorum legentes fatigare (quin etiam carmina diversorum metrorum inter se miscere non verebantur[2]), sed quasi bellaria iis apponere volebant, quorum dulcedo, nisi interdum aliis cibis interrumpitur, graves molestias affert. unde huius artis rationes, quibus poetae aevi Ptolemaeorum se iactare solent, ortae sint, non nostrum est diiudicare; sed sine dubio causa repetenda est ex infirmitate saeculi, qua poetae ut magnas res et magnas formas vitarent commovebantur et ad minora relegabantur. quos poetas brevis et angusti spiritus Romani secuti sunt, qui neoterici vocantur, etsi res paululum aliter hic se habet, utpote qui forma, quam non ipsi invenerant, utebantur. Vergilius, quamvis neoterica Bucolica eius adhuc sint, novam artis rationem auspicatus est: noniam nugae tenui ligamine libri continentur, sed decem carmina ad hunc librum facta, eiusdem fere magnitudinis, eiusdem versus, eiusdem coloris. ausus est unam rem per totum librum persequi: hoc quasi signum novi saeculi appropinquantis est. noniam vires in diversas partes effunduntur, sed ita continentur, ut unum et magnum opus oriatur. quamvis severiora et interdum duriora Vergili Bucolica sint quam Theocriti conformatione et singulorum carminum et totius libri, tamen nota novae et validioris aetatis iis impressa est. Vergili Bucolica, quamquam ante ipsius initium scripta sunt, ingenium aevi Augustei prae se ferunt.

---

1. cf. Kroll, Hellenistisch-röm. Gedichtbücher N. J. 1916 p. 93 sqq.
2. cf. Kroll, l. c. p. 95

Agitur de



---

---


Hoc opusculum dissertationis loco delatum ab amplissimo philosophorum in Academia Philippina Marpurgensi ordine acceptum ac probatum est. quod ut typis exscriptum ederetur, liberaliter curavit F. Jacoby. liceat mihi hoc loco grato animo nominare eos viros doctos, quorum benevolentia atque auxilio adhuc usuus sum: Norden, Lommatzsch, Jacobsthal. imprimis autem gratias ago Paulo Friedländer, qui adhortatione institutione consilio opera semper benigne me fovit.



